

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput.CXLI. Pontifices Et Pharisei De Christo Interficiendo Cunsultant,
Caiphas De Fructu Mortis Dominicae Inscius Vaticinatur.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162



HARMONIAE EVANGELICÆ CONTINUATIO,

ET USQUE

CAPUT CXLI.

PONTIFICES ET PHARISÆI DE CHRISTO INTERFI-
CIENDO CONSULTANT, CAIPHAS DE FRUCTU MOR-
TIS DOMINICÆ INSCIUS VATICINATUR.

JOHAN. II. vers. 47.

RATIO ORDINIS.



Uta à miraculo resuscitati Lazari usq; ad tempus passionis à Christo dicta ac gesta memorantur, in illis series Historiæ citra laborem inveniri potest. Evangelistæ enim in primis tribus annis ac primis mensibus anni quarti ministerii Christi (tot enim anni juxta vulgaram sententiam ministerio Christi tribuuntur) præcipuas duntaxat Historias, conciones & miracula annotarunt, non autem quid singulis diebus à Christo dictum factumve fuerit. Sed post Lazari resuscitationem, quæ passionem Christi mense uno præter propter antegressa est, singulari diligentia consignerunt, quid singulis ferme diebus acciderit, ac postmodum in describenda passionis Historia juxta singulas horas seriem narrationis ordinarunt. Constat igitur ex Johanne, (qui solus miraculum Lazari resuscitati descripsit) Historiæ de Lazari resuscitatione immediate connectendum esse Concilium Pontificum ac Pharisaorum de Christo interficiendo Hierosolymis congregatum. Cum enim in præcedentibus dixisset, quosdam miraculi illius spectatores Bethaniâ Hierosolymam ad Phariseos infensissimos Christi hostes abiisse, iisdemque nuncium de Christi factis attulisse, v. 46. statim subjungit: *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisei Concilium.* v. 47. Nimirum Sacerdotes & Pharisei publicâ tanti miraculi famâ excitati protinus Concilium convocarunt, inque eo sanguinarium decretum contra Christum procuderunt. Et quia fama de hoc miraculo ob loci vicinitatem facillè potuit Hierosolymam penetrare, siquidem Bethania *quindecim* tantummodo *stadiis*, hoc est, dimidio ferè miliari Germanico Hierosolymis distabat v. 18. inde probabiliter colligitur, Concilium istud altero statim post Lazari resuscitationem die fuisse convocatum. Si-

mon de Cassia statuit, hoc Concilium, quod Johannes describit, esse idem cum eo, quod à reliquis Evangelistis describitur Matth. 26. v. 3. Marc. 14. v. 1. Luc. 22. v. 3. sicut Piscator Herborenensis in Concordantiis marginalibus lectorem eò remittit. Argumentis fortè moventur hisce, quòd Christus Bethaniæ fuisse dicatur, cum Pontifices & reliqui Assesores Synedrii de ipsius capite consultarent, quodq; eadem deliberationis materia, idem utrobique Concilii describi videatur exitus. Sed re verà distinctum est illud Concilium, de quo Johannes hoc loco agit, ab eo, quod reliqui Evangelistæ postea describunt. i. quia illud die uno vel ad summum altero post Lazari resuscitationem institutum fuit, antequam Christus in urbem Ephraim eremo vicinam secederet; hoc verò biduo ante pascha convocatum fuit, postquam Christus ex secessu illo Bethaniam redierat. 2. in Concilio, quod Johannes hic describit, de re ipsa consultatur, an scilicet Christus ex medio tollendus sit, necne? ac decretum communi suffragio statuitur, quòd omnino interficiendus sit. Sed in Concilio illo à reliquis Evangelistis annotato de modo rei deliberatur ac decernitur, quod dolo captivandus sit, exacto tamen prius paschatos festo, ne tumultus aliquis in populo oriatur. Sic ergo in universum quatuor Concilia describuntur, quæ paucis diebus ante Historiam passionis contra Christum à Clero Hierosolymitano fuerunt coacta. Primum est hoc ipsum, in quo decernunt, Christum esse interficiendum, ne salus totius populi Judaici in discrimen veniat, ubi auditum fuerit à Romanis, tot homines huic novo Regi adherere. Alterum describitur Joh. II. v. 57. in quo decreverunt, ut si quis noverit, ubi lateat Jesus, illud statim deferat, quòd comprehendi & captivari possit. Tertium Concilium non Christi solum sed & Lazari jugulum petebat, in eo enim statutum fuit, quòd & Lazarus interficiendus sit, quia multi peregrini, qui religionis causa

ad pascha celebrandum venerant, Hierosolymâ Bethaniam excurrerant, ut Lazarum ex mortuis reducem viderent & audirent. Joh. 12. v. 9. & 10. Quartum denique illud est, quod biduo ante pascha habitum fuit, in quo decreverunt, non aperta vi, sed occultis dolis propter metum sedi-

tionis in populo oritura contra Christum agendum esse. Matth. 26. v. 3. Marc. 14. v. 1. Luc. 22. v. 3. Hæc quatuor Concilia à Pontificibus instituta sunt, antequam Christus caperetur, postea in ipsâ passionis Historia plura contra ipsum sunt convocata, quæ tamen omnia fuerunt sanguinaria.

PONTIFICUM ET PHARISÆORUM DE CHRISTO INTERFICIENDO CONCILIUM, ET CAIPHÆ DE FRUCTU DOMINICÆ MORTIS VATICINIUM.

JOHAN. 11.

- 47. Συνήγαγον ἔν οι δὲ χεῖρες καὶ οἱ Φαρισαῖοι συνέδριον καὶ ἔλεγον, τί ποιῶμεν; ὅτι ἔτι ὁ ἀνδρῶν πολλὰ σημεῖα ποιεῖ.
- 48. Ἐάν ἀφώμεν αὐτὸν ἕτω, πάντες πιστεύουσιν εἰς αὐτὸν καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι καὶ θράξουσιν ἡμῶν τὸ τόπον καὶ τὸ ἔθνος.
- 49. Εἰς ἧ τις ἐξ αὐτῶν Καϊάφας ἀρχιερεὺς ὢν καὶ ἐνιαυτῷ ἐκεῖνος εἶπεν αὐτοῖς, ὑμεῖς ἐκ οὐδατε ἴδτε.
- 50. Οὐδὲ ἀγαθὸν ἔσθι, ὅτι συμφέροι ἡμῖν, ἵνα εἰς ἀνδρῶν δόξα γένη ὑπὲρ τοῦ λαοῦ καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀποληται.
- 51. Τοῦτο ἡ ἀφ' ἐαυτοῦ οὐκ εἶπεν, ἀλλὰ ἀρχιερεὺς ὢν καὶ ἐνιαυτῷ ἐκεῖνος προεφῆτευσεν, ὅτι ἐμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους.
- 52. Καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ διασκορπισθῆναι συναρῶν ἑῖς ἓν.
- 53. Ἀπ' ἐκείνης ἕν τῶν ἡμερῶν συνεβέβησαν, ἵνα δόξα κτείνωσιν αὐτὸν.

- 47. Congregaverunt ergo Pontifices & Pharisei Concilium ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa edit?
- 48. Si permiserimus eum sic, omnes credent ei, venientque Romani & tollent etiam locum nostrum, tum gentem.
- 49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam.
- 50. Nec perpenditis, quod expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat.
- 51. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, vaticinatus est, quod Jesus moriturus esset pro gente.
- 52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.
- 53. Ab illo ergo die consultabant invicem, ut interficerent eum.

Exegesis hujus Historia.

Quemadmodum prædicatio Evangelii de Christo quibusdam est odor mortis ad mortem, quibusdam verò odor vite ad vitam, 2. Cor. 2. v. 15. ita quoq; miraculum in resurrectione Lazari à Christo factum non unum & eundem, sed diversum imò adversum & contrarium in spectatoribus habuit effectum. Multi enim ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham & viderant, quæ fecit Jesus, crediderunt in eum, Joh. 11. v. 45. hoc est, agnoverunt ex hoc miraculo, Jesum esse olim promissum, jam verò exhibitum Messiam, quippe cui talia miracula tribuuntur. Es. 35. v. 5. & 6. Atq; hic est proprius & salutaris finis miraculorum Christi, ut ex illis pro Messia agnoscat, sicut ipse docet Joh. 5. v. 36. cap. 10. v. 25. 37. & 38. cap. 11. v. 42. ut & Johannes Evangelista cap. 20. v. 31. quo respectu August. lib. 12. Confess. cap. 21. miracula introitum quendam ad fidem appellat. Quidam verò ex illis abierunt ad Phariseos hostes Christi insensibilissimos & dixerunt eis quæ Jesus fecerat Joh. 11. v. 46. non bono animo, ut tam ad mirandi signi testes essent ac suæ admirationis eos participes facerent, (quæ Stapulensis est opinio) sed malo ac perverso, oleum hac ratione camino addentes atque optimè facta pessimis calumniis apud amulos gloriæ Christi deformantes. Jamdum convenerat inter Proceres Hierosolymitanos, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum sive Messiam, is fieret δόξασα γων Joh. 9. 22. Hi ergò hypocritæ isthac delatione gratiam Pontificum

captare ac sese purgare volunt, ne fortè, quia miraculo Bethanienli interfuerant, in suspicionem defectionis ad Christum & periculum excommunicationis Pontificiæ inciderent. Magna erat eorum improbitas, sed Pontificum & Phariseorum longè major, qui consilium ineunt de interficiendo eo, à quo vitam demortuo restitutam esse audierant, Caiphæ verò summi Pontificis longè maxima, qui συβέβησας & Collegas suos remissius agentes contra Christum magis inflammat, ac unius, etiam insontis morte totius populi exitium à Romanis meruendum averti debere pronunciat. Hujus sanguinarii Concilii 1. Occasionem, 2. Assessores, 3. Acta & 4. Exitum sive Recessum accurate describit Evangelista. Quare cum ipse fores nobis patefecerit, liberè ingrediemur processum ac formam illius paulò penitius contemplaturi.

1. Occasio. Quæ fuerit hujus Concilii ἀφορμή atque occasio, Evangelista per particulam illativam & insinuat, in ipsa autem consultatione expressis verbis ponitur, quando Assessores dicunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa edit? Nuncium de Lazaro miraculose à Christo resuscitato quidam attulerant ad Phariseos, qui majore odio præ reliquis Clericis Hierosolymitanis Christum prosequerantur, quia hypocrisis suam ab eodem acrius taxari animadverterant. Illi rem porrò deferunt ad Pontifices, penes quos erat potestas convocandi Concilium, ut quid facto opus esset, quanto citius delibe-



deliberarent. Debuissent & Pharisei & Pontifices auditâ hujus miraculi famâ, ex eo itidem Jesum Nazarenum pro Messia agnoscere, pro tam evidente divinâ potentia declaratione ipsum extollere, atque id operam dare, ut omnes Christum tot Prophetarum vaticiniis promissum ac tot miraculis conspicuum verâ fide reciperent, sed justo Dei judicio propter antegressum cœlestis doctrinæ contentum in reprobum sensum traditi à Satana Christi adversario inflammati, & furis ambitionis, invidia atque odii contra Christum agitati unâ cum Pontificibus nefarium & sanguinarium de Christo interficiendo Concilium instituunt, sicque perditis illi homines plus cogitabant, quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent, ut loquitur Augustinus tract. 49. in Johan. Magnum ac divinum erat miraculum, quod Lazarus ex morte & fœtido sepulchro à Christo excitabatur, sed majus ferè prodigium ac portentum est, quod Pontifices & Pharisei illustri illo divinâ potentia ac gloria indicio ex morte infidelitatis & sepulchro peccatorum ad cognoscendum Messiam non potuerint excitari, sed Concilium instituunt de morte irroganda ei, qui mortem in Lazaro vicerat; de opprimendo eo, cui nec ipsam mortem prevalere videbant. Qualem verò effectum in Phariseis & Pontificibus miraculum resuscitati Lazari obtinuit, eundem adhuc hodie Dei beneficia & opera, cum primis verò prædicatio verbi in impiis ac persecutoribus obtinent, quod videlicet per ea nō reddantur meliores, sed magis effrenati atque obstinati, quodque in illis odium erga confessores veritatis cœlestis magis augeatur, sicut calx affusâ aquâ redditur ferventior, cujus rei culpa nec Deo nec ipsius verbo aut beneficiis, sed furori Satanae & hominum malitiæ unicè tribuenda.

2. *Assessores* sunt summi Sacerdotes & Pharisei. Unus erat anni illius Pontifex, *Caiphas* sc. ut v. 49. Evangelista testatur, cur ergo plures vocantur Pontifices? Constat ex Historia Evangelica & Josepho, tempore Christi non amplius observatam fuisse legem Dei de Sacerdotio uni homini ad vitam usque sinem prorogando, sed singulis annis mutatos fuisse Pontifices pro arbitrio Præsidentum Romanorum, à quibus per largitiones hanc dignitatem impetrabant. Augustinus igitur statuit, plures tum temporis fuisse Pontifices, qui per vices singulis annis Pontificatu fuerint functi, sicut in civitatibus Consules sibi invicem succedunt. Probat hoc ex Luc. 1. 8. ubi de Zacharia dicitur, quod *summus fuerit Sacerdotio in ordine suo ἐπιμελείας*. Sed probatio hæc infirma est, quia Zacharias non fuit summus Sacerdos, ac vices illæ constitutæ erant inter inferiores Sacerdotes, ut constat ex eo, quod tempore Davidis & Salomonis, cum adhuc unus esset Pontifex, vices illæ fuerint observatæ. Majore specie hoc probari posset ex Luc. 3. 2. ubi de Johanne Baptista dicitur, quod *sub Pontificatu Annæ & Caiphe ministerium suū fuerit exorsus*. Videntur ergo hi duo alternis vicibus Pontificatum quotannis administrasse. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius existimant, Pontifices semel duntaxat per omnem vitam & uno tantum anno Pontificatu fungi consuevisse, ac nihilominus postquâ Pontificatu abierant, in pristina dignitatis memoriâ Pontifices fuisse dictos, sicut dicitur Consulares vel Exconsules, qui vel semel

Consulatu fuere functi. Huic sententiæ accommodari potest, quod Act. 4. v. 6. *Annas, Caiphas, Johannes & Alexander & quotquot fuerunt ex stirpe deheretice* in Concilio dicuntur congregati. Concinnius est per *πισ δεχηριεις* intelligere Principes sive capita familiarum Sacerdotium. Cum enim Sacerdotes divisi fuerint in 24. sortes sive familias principales, inde capita istarum sortium sive familiarum dicebantur *δεχηριεις* sive Principes Sacerdotum, quorum erant 24. quibus omnibus, ut & toti ordini Sacerdotali ac Levitico præerat unus summus Sacerdos *δεχηριεις κατ' ἐξοχην* appellatus. Hi ergo summi Sacerdotes, quorum Præses tunc temporis erat Caiphas, unâ cum Phariseis Concilium indixerunt. Penes Pontifices erat summa potestas in Ecclesiasticis, Pharisei autem laudem eruditionis & sanctimonie affectantes præ reliquis sectis autoritate & honore conspicui erant. Horum igitur suggestionem & suasum Pontifices convocarunt Concilium, cui præter Phariseos procul dubio etiam interfuerunt quidam ex Scribis & Senioribus populi, sicut in aliis conciliis Hierosolymitanis illud fuit observatum Matth. 24. cap. 1. 6, 3. & 57. cap. 27. 1. & 62. &c. ubi conjunguntur *δεχηριεις, Φαρισαϊοι, γραμματεϊς η̄ περὸς ἑτέροις & λαῶν*, dicit enim Evangelista, quod *συνήγαγον συνέδριον*. Vox Synedrion in orat. ad Leocharem in genere usurpatur pro consessu Concilii ac judicii. *Æschines* Areopagiticus iudicio hanc appellationem tribuit, *συνεδροι* enim dicuntur, qui in Senatu vel loco judicii unâ sedent. Judic. 5. 10. Psal. 26. 4. Prov. 22. 10. hic verò ut & alibi passim in scriptis Evangelistarum specialiter accipitur pro supremo illo Senatu, qui Hierosolymis constitutus erat ex 72. Judicibus, Pontificibus scilicet, Scribis, Phariseis ac Senioribus populi. Duplex enim Synedrion erat in populo Israelitico, *parvum* scilicet ac *magnum*, unde in plurali dicitur Matth. 10. 17. Marc. 13. v. 9. *tradent vos in Synedria*. In qualibet civitate Israelitica, quæ habebat plures quàm centum & viginti cives, erat Synedrion, Senatus seu Consistorium parvum, quod constabat 23. Sapientibus, quod, si qua civitas non habebat centum & viginti cives, constituebantur in ea tantum tres Judices sive Triumviri, non Synedrion aliquod. Hierosolymis verò in metropoli Judææ erat Synedrion sive Consistorium magnum, in quo erant 72. Judices, qui de causis summis cognoscebant & ad quod à reliquis inferioribus Synedriis appellari poterat. Confer *Fagium* in notis ad Deut. 16. v. 18. *Schindlerum* in Lexic. in voce *סנהדרין*. Harmon. Evangel. cap. 5. 1. Summa autem fuit ratio Synedrion magni ex 70. Senioribus, qui Mosis in iudicio divinitus adjuncti fuerunt Ex. 24. v. 9. Num. 11. v. 25. unde summus inter illos Judices, qui erat loco Mosis, vocabatur *פּרַשֵׁי* prælatus & *פּרַשֵׁי מוֹרַבְלִי* excellens. Illi adjunctus erat quidam Vicarius ac Collega, qui ipso vel absente vel impedito partes muneris sustinebat, qui ob id *Prælati Prælatorum* Num. 3. v. 32. ac *Sacerdos secundus* dicebatur. 2. Reg. 25. v. 18. horum Consiliariorum reliqui Assessores 70. Græcâ appellationem Synedrion Judæi in suam linguam translulerunt corruptè pronunciantes *Sanhedrin*, per quod *Elias Levita* dicit intelligi Senatores Prætorii magni, quod erat Hierosolymis. Cooptabantur autem in hoc Consistorium tantummodò Sacerdotes, Le-

vitæ & Israëlita nobiliores, qui digni erant ad suscipiendum Sacerdotium. Atque hos oportebat esse viros sapientes, divites, peritos artis Magicæ, ut scirent destruere Magiam, gnaros septuaginta linguarum &c. ex quo intelligitur, Concilium quod hoc loco judicialiter & solenniter convocatur (id enim significat verbum *סודא*, Matth. 2. v. 4. c. 22. v. 34. c. 26. v. 3. &c.) non fuisse conventiculum vilium & abjectorum hominum, sed honoratissimum confessum eorum, qui *sedebant in cathedra Moysi*, Matth. 23. v. 2. qui & autoritate & potestate pollebant, penes quos erat ordinarium & summum de negotiis Ecclesiasticis iudicium. Atq; hoc Synedrium majus non nisi de gravissimis causis totius populi salutem atq; incolumitatem spectantibus consultabat, utpote de Pseudopropheta, de summo Sacerdote, de integra tribu, de lege sacra, de Rege, &c. sicut etiam hoc loco Concilium indicitur *וְיָצְאוּ*, ut in quibusdam Græcis Codd. additur, ut communi suffragio deliberent, quid de Jesu vel potius contra Jesum suscipiendum sit. Sed gravissimè in suis deliberationibus ac decisionibus impingunt, ut postmodum apparebit. Non moveamur ergo hominum autoritate, ut Christum & doctrinam Evangelii abjicere propterea velimus, quia repudiatur & condemnatur ab illis, qui Ecclesiastica potestatis & ordinariæ successionis nomine gloriantur. Summum hoc Concilium non humanum sed divinū habebatur, decreta ejus judicabantur oracula, nec licebat ab eo ad superius tribunal appellare, & tamen Assesores ejus in ipso fundamento hic errare deprehenduntur. Potest & illud observari, quod *Pontifices & Pharisei* dicuntur *congregasse Concilium*. Ergo non solus summus Sacerdos sibi hanc potestatem arrogavit, sed ex consilio totius Synedrii, penes quod erat jurisdictio, conventum indixit, ut vel ex eo Pontificis Romani fastus coarguatur, qui cum Aaronici Sacerdotii figuram exprimere in aliis velit, tamen sibi soli potestatem convocandi Concilia vendicat.

3. *Acta hujus Concilii*. In illis occurrit primò *Consultatio*, secundò *Decisio*. Illa communis est omnibus Assessoribus; hanc verò solus Caiphas sibi arrogat. Consultatio ipsa sic describitur. *Dicebant Assesores Concilii: Quid facimus, quia hic homo multa signa edit? Si permiserimus eum sic, omnes credent in eum, venientq; Romani & tollent tum locum nostrum, tum gentem*. Primò seipos ad vigilantiam & seriam salutis publicæ curam suscipiendam excitant. *Quid facimus?* inquit. Quidam præsens pro futuro positum arbitrantur, sicut apud Hebræos talis permutatio temporum frequens est. Adducunt fidem antiquorum quorundam Codicum, in quibus futurum ponatur, ut & Syri paraphrastis, qui habet futurum *בְּעָרְבָא* ac lectionem Augustini, qui itidem sic habet. *Quid faciemus?* Sensus ergo esset: *Quid faciendum censetis?* hic homo facit signa multa, quid ergo nobis faciendum, quibus ratione officii incumbit sedulo prospicere, ne quid detrimenti capiat Ecclesia ac Resp. Israëlita? Sed cum Græci Codd. constanter legant: *Quid facimus?* non est, quod futurum pro præsentem substituatur. Quidam ergo disputant, præsens tempus hanc vim habere, ut debitum significet. Sensus ergo esset: *Quid facimus?* hoc est, quid porro facere de-

bemus, sicut Matth. 17. v. 24. *Magister vester an non solvit, id est, tenetur solvere didrachma?* Sed coactum hoc est & peregrinum. Rectissimè ergo hæc verba accipiuntur, tanquam cohortatio, quæ suam arguunt oscitantiam & negligentiam, quod moras nectant in avertendo communi Patriæ periculo, sicut etiam in Syriaca paraph. additur particula cohortandi *וְיָצְאוּ*. Sensus ergo est: *Quid facimus?* cur in re tanta totius populi salutem concernente cunctamur? cur tam atroci malo tam segniter occurrimus? Ultrata autem fuit hæc loquendi formula: *Quid faciam?* *Quid faciemus?* in perplexitate negotiorum & inopiâ consilii. Jud. 21. v. 16. 1. Sam. 5. v. 8. cap. 6. v. 2. Jon. 2. v. 11. Sic ergo significaretur, hostes Christi & Ecclesiæ persecutores semper esse in consiliis dubios atq; animis hæere suspensis, Esa. 57. 21. ex una enim parte suis commodis, suoq; honori metuunt, ac proinde persecutionem continuandam censent, ex parte altera divinæ potentia Ecclesiam defendentis manifesta indicia conspiciuntur, quæ reprimunt ipsos, quò minus in sanguinario proposito pergere audeant. Præterea verbum illud, *Quid faciam?* est verbum avaritiæ ac metus amittendi bona. Luc. 12. 17. verbum invidiæ Act. 4. 16. Sic ergo significaretur hostes Ecclesiæ affectibus suis transversos rapi, quò minus viam rectam, cui insisteri debeant, perspicere possint. Possent etiam collationis gratia huc referri, quod Philistæi invicem quærunt, quid de arca Domini, quam in potestate sua habebant, facere debeant. 1. Sam. 5. 8. sic hi Philistæi veræ Ecclesiæ hostes quærunt, quid de Jesu per arcam fœderis præfigurato facere debeant, quo sensu in Historia passionis Pilatus dicit: *Quid faciam de Jesu?* Matth. 27. 22. & Pontifices Hierosolymitani de Apostolis dicunt: *Quid faciemus hominibus istis?* Act. 4. v. 16. Apparet igitur ex hac cohortatione, improbitatem & crudelitatem persecutorum non posse fatiari, ac impios magis industrios & vigilantes esse ad bonum quam ad malum. Fuerant hæcenus hi consultores pessimi ad malum plus satis negotiosi; jamdum *miserant suos ministros, ut Christum comprehenderent* Joh. 7. 32. fecerant decretum, *ut si quis confiteretur eum esse Christum, excluderetur à Synagoga* Joh. 9. v. 22. exquisitissimis convitiis & calumniis gloriam Christi opprimere summopere studuerant, neq; quidquam intermiserant, quod ad sistendum Evangelicæ prædicationis cursum aliquid facere posse visum fuerat, & tamen dicunt: *Quid facimus?* Debuissent occulti Christi discipuli tam insigni miraculo salutariter uti ac dicere: *Quid facimus?* cur adhuc cunctamur ac tergiversamur, eum liberè confiteri? hic Jesus *seduipsum* edit signa multa. Cur dubitamus, quod corde credimus, etiam ore confiteri, cum ex miraculis agnoscamus, ipsum divinâ suâ potentia contra omnes hostes nos defendere posse? Qui nondum in Christum credebant, debuissent item hoc miraculo ad fidem Christi perducere ac dicere: *Quid facimus?* cur adhuc cunctamur in eum credere? hic Jesus facit signa multa: *Si oblatam gratiam negligimus atq; ex manibus dimittimus, justo Dei iudicio pœnas dabimus, venient Romani & tollent tum locum tum gentem nostram*, quinimò venient cacodæmones & corpora atq; animas nostras in infernum secū rapiant. Sed tale quid hoc loco non commemoratur, verum de hostiū vigilantia ac infatiabili nocendi cupiditate

cupiditate Evangelista hisce verbis testatur. Simile studium in Ecclesiæ hostibus adhuc hodie conspicitur. Secundò conventus hujus causam & deliberandi materiam explicat, *et quia hic homo multa signa facit.* *ut possit accipi causaliter, si in futuro legeretur, quid faciemus?* Sed quia tempus præfens magis congruit, ideò rectius accipitur ut particula expletiva. *Quid facimus? hic homo facit signa multa,* ipse pergit in signis & miraculis faciendis, nos interim nostro non satis gnauiter fungimur officio in opprimenda miraculorum istorum fama & gloria. Contemptui tribuendum, quod dicunt, *hic homo,* neque enim proprii nominis appellatione, multò minùs Prophetæ nomine, quod passim ab omnibus ipsi tribuebatur, ipsum dignantur, sed simpliciter dicunt *hic homo Galilæus,* hic Nazareus, fabri filius, sicut etiam Phariseus ex supercilioso proximi contemptu dicit, *hic publicanus.* Luc. 18. v. 10. Depingitur ergo ingenium invidorum, quod dona proximo diuinitus concessa non agnoscunt, nec honorificâ compellatione eum dignantur, quem diuina benignitas in sublimiorem honoris gradum extulit. Christus miraculo resuscitati Lazari suam diuinitatem euidenter demonstrauerat, sed Pontifices ac Pharisei nihilominus ex contemptu nudum hominem ipsum vocant *tantâ diuinitatis demonstratione perceptâ,* ut loquitur Basilius Seleucienensis orat. 42. ex quo apparet, inuidiæ semper conjunctam esse supinam cœcitatē. Quod de Christo dicunt, ipsum *multa signa facere,* id quidam generaliter accipiunt, quod non tantum miraculis, sed etiam aliis signis ac *τεκμηρίοις* sese verum Messiam esse ostendat, quo sensu vox *σημεία* accipitur Matth. 24. v. 3. Marc. 13. v. 4. Luc. 2. v. 12. 2. Cor. 12. v. 12. Sed Pontificibus & Phariseis nihil minùs persuasum erat, quàm signa & indicia Messia in hoc Jesu locum habere. Signum igitur hic ponitur pro miraculo vel potius mirabili prodigio, quæ significatio in Scripturis frequens est, 2. Thess. 2. 9. neque enim miracula Christi pro veris miraculis habebant, sed pro mirabilibus prodigiis ac præstigiis Diabolicâ virtute factis, Matth. 12. 23. Quod autem in plurali loquuntur, & addunt *signa multa,* id respicit vel ad miracula resuscitationem Lazari antegressa, vel quod in uno illo resuscitationis miraculo plura simul concurrerant, prodierat enim Lazarus rediuisus, *ligatus manus & pedes uese iocys fascibus sepulchralibus & facies ejus sudario erat obvoluta,* quod etiam sanum hominem prodire vetasset. Joh. 11. 44. Copia ergo miraculorum hoc loco accusandi materiam ipsis exhibet, cum alibi de inopia & indigentia miraculorum conquerantur Matth. 12. 37. c. 16. 1. *Quid facimus,* inquit, *hic homo non unum aliquod, sed multa signa edit?* ac signum proximè in Lazari resuscitatione editum *notum factum est omnibus habitantibus in Jerusalem, & non possumus negare,* sicut de miraculo claudi ab Apostolis sanati loquuntur Act. 4. v. 16. *Quid verò facitis vel faciendum vobis censetis? Credite in eum ut ceteri,* quia per miracula se verum Messiam esse demonstrat. Testatur autem hoc summam Christi innocentiam, quod nihil nisi miracula, id est, benefacta ipsi objicere possunt, sicut & postea persecutores Ecclesiæ Christiani nihil aliud quàm *conuentus antelucanos, in quibus laudes Christi personabant,* objicere poterunt. Tertiò periculum imminens

Harmonia Tomus II, vel Gerhardi Continuationis pars prima.

exaggerant. *Si permiserimus eum sic, omnes credent in eum, venientque Romani, & tollent tum locum nostrum, tum gentem.* *ἀφ' ἧς ἡρῆς* est dimittere ac permittere. Syrus habet verbum *כדן* sic ergo loquitur ac si Christum haberent in potestate sua, ac in manu sua positum esset impedire, quò minùs vel Christus miracula faceret, vel alii miraculis permoti in ipsum crederent, qualis cœcitas adhuc hodie in persecutoribus Ecclesiæ animadvertitur. Quamvis verò nondum definiant, quid faciendum esse censeant, alii enim alia habuerunt consilia, quæ prolixè recenset Simon de Cassia lib. 1. 1. cap. 45. Josephus Arimathensis non consensit ipsorum consilio & actibus Luc. 23. v. 51. Nicodemus dubio procul in sententia semel prolata perstitit. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso & cognoverit quid faciat* Johan. 7. v. 51. Gamaliel ejusmodi commonefactionem proposuit. *Sinite illum, quia si est ex hominibus Constilium hoc, aut opus, dissolvetur, si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere, ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Act. 5. v. 38. 39. tamen major pars Assessorum in eam inclinavit sententiam, quod non sit Christo liberum relinquendum in prædicanda nova doctrina & miraculis faciendis pergere, sed impediendum hoc esse vel severâ comminatione atque interminatione, ne tale quid in posterum tentaret, quo medio contra Apostolos utuntur Act. 4. vers. 21. vel captiuatione Actor. 5. vers. 18. vel internecione ac ultimi supplicii irrogatione, quod medium plerisque visum fuit tutissimum, ut ex Receptu sive exitu hujus Conciliabuli apparebit. Urgent autem duplex periculum ac incommodum, quod ex eo oriturum metuebant, si Christum liberè docere & miracula edere permitterent. Primò *omnes credent in eum,* quod *ἀπὸ τῆς τῶν ἑβραίων* ab ipsis prolatum ad exaggerandam rei indignitatem, sicut etiam Johan. 11. v. 19. dicunt, *mundus post ipsum vadit.* Sic ergo ratiocinantur vel potius delirant: Si Christum ita pergere sinimus, plures indes verbo & miraculis sibi acquireret discipulos, ex quo nihil aliud quàm ruina nostri nominis & honoris consequi poterit. At debebant eò laborare, ut omnes in Christum crederent, hoc enim ad veri Pastoris officium pertinet, quo ipsi tum temporisungebantur vel certè fungi videri volebant. Frustrâ etiam metuebant, ne omnes in Christum crederent, quia in Prophetis prædictum, ipsum multis fore lapidum offensionis & petram scandali duabus domibus Israel in laqueum & ruinam habitantibus Jerusalem, ut offendant ex eis plurimi & cadant & contemnantur & irriterantur & capiantur Esai. 8. v. 13. 14. Ac si vel maximè omnes in Christum crederent, tamen nihil periculi vel incommodi ex eo metuendum, quia fides in Christum non evertit politias, nec facit homines seditiosos, sed pios, pacificos, quietos, Deum timentes & caritati studentes. Quodnam igitur erat malum ex eo metuendum, si omnes in Christum crederent, hoc est, si redderentur pii, pacifici, quieti, Deum timentes & caritati studentes, adeoque si omnes facerent, quod omnes ex mandato Dei facere debebant, quodque ipsimet Pontifices & Pharisei primi facere, suoque exemplo aliis in eo præluere tenebantur? unde Christus Luc. 19. v. 42. non ad everisionem, sed ad pacem, id est,

id est, salutem & felicitatem Israelitici populi susceptionem sui pertinere ostendit. Alibi de inopia & infrequentia sectatorum conqueruntur, atque per eam se impediri dicunt, quo minus in ipsum credant. *Nunquid ex Principibus aliquis in eum credit, aut ex Phariseis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt* Johan. 7. v. 48. 49. hic verò copiam sectatorum probri loco objiciunt & eandem suam incredulitati prætexunt. Non poterant miraculorum veritatem ac majestatem negare, nec ignotum ipsi erat plures quotidie ex verbo & miraculis Christum pro Messia agnoscere, sed pessimo ambitionis & invidiæ studio excæcati hanc Christi gloriam conantur opprimere, adeoque ut Cyrillus loquitur lib. 8. in Joh. cap. 1. *invident Soli, quod in plures lucis suæ radios spargat.* Non poterant ipsi ambitione & avaritiâ excæcati radios Solis tolerare, idè Solem conantur extinguere. Sed ut Sol non potest nubibus obscurari, verum earum caligine longè clarius postea prorumpit, sic Christi gloria non potuit tetris Pontificum & Phariseorum molitionibus obscurari, sed in resurrectione longè clariùs & potentius iterum refulxit. Posterius periculum, quod prioris veluti confectarium, sic habet: *Si permiserimus eum sic, venient Romani & tollent eum locum nostrum & gentem, id est: Si permiserimus eum majorem subinde auctoritatem per miracula sibi comparare, omnes credent, quod sit promissus Messias Rex Judæorum, id verò pessimè habebit Romanos, in quorum potestatem sumus redacti, idque interpretabuntur seditionem ac defectionem à Cæsare, proinde venient cum exercitu & invadentes nos tanquam rebelles occupabunt regionem nostram, & gentem nostram aliò transferent, sicut in transmigratione Babylonica factum, vel etiam evertent templum, locum divino cultui ac sacrificiis destinatum ac totum Judaicum genus internectione delebunt, utrumque enim significat ἀρειν tollere & auferre, item perdere & evertere, ac utraque significatio huc accommodari potest. Syr. habet verbum ܡܦܘܘܩܘܘܢ quod itidem significat & transferre & auferre. Et quia ἀρειν est ἡ ἀρετὴ λαβόν, ex eo intelligitur, aliquam adhuc administrationem & ἀντινομίαν penes Judæos fuisse, quam sibi à Romanis eripi metuunt: Τότε ἡ ἀρετὴ λαβόν, accipi potest vel generaliter pro tota regione, quam in terra Canaan Judæi inhabitabant, vel specialiter pro templo, in quo plurimum confidebant. In hac enim speciali significatione usurpatur Act. 6. v. 13. 14. c. 21. v. 28. Sic ergo utrique metuunt videlicet & templo & toti regioni, quam inhabitabant. Neque illud prætermittendum, quod populum suum vocant ἔθνη. Solebant aliàs gentiles per contemptum vocare ἔθνη, sed hoc loco ipsimet Judaicum populum vocant τὸ ἔθνος, inscii hac ratione prophetantes populum Judaicum propter Messiam contemptum à Deo abjiciendum & gentiles in eorum locum assumendos. Quemadmodum enim Evangelista de Caipha postmodum dicit, quod inscius de fructu Dominicæ mortis prophetaverit; ita quoque de hisce Alesioribus affirmare possumus, quod inscii de futurâ populi Judaici sorte prophetaverint, reverâ enim post annos 42. venerunt Romani & everterunt locum & gentem, destruxerunt urbem Hierosolimam & templum, ac populum Judaicum in miserâ captivitatè abduxerunt.*

Expende autem horum Consultorum 1. *hypocrisin.* Prætexunt suam ambitioni, invidiæ & avaritiæ curam salutis publicæ, cupiunt videri studiosi tum pietatis & religionis, quam contra impostorem tueantur, tum quietis & tranquillitatis publicæ, quam contra seditiosos hujus conatus defendant, cum tamen privati commodi respectus & invidiæ moribus eos transverfos rapiat. Convocant Concilium, ne quid temerè vel inconsultò agi videatur, & tamen jam ante constituerant Christum è medio tollendum esse. Quidam existimant, eos reverâ metuisse, ne Romani famam hujus novi Regis permoti bellum contra populum Judaicum moverent, sed verisimilius est, quod hunc prætextum de studio publicæ salutis privatis suis cupiditatibus obverterint, convicti enim erant in corde suo, Christum non affectare regnum mundanum. 2. *cæcitatem* & quidem multiplicem. Cæcitas est, quod putant in manu sua positum impedire, quò minus plures in Christum credant, cum tamen fides sit opus Dei, quod nullâ vi humanâ interverti potest. Maxima stoliditatis foret, si quis sibi persuaderet, se posse Solem pallio suo obtegere, ne hominibus lucem præbeat, sed longè majoris stoliditatis est, quod Pontifices & Pharisei hoc loco sibi persuadent, se posse lucem illam, quam Christus Sol justitiæ Malach. 4. v. 2. spargebat, consiliis suis intervertere. Cæcitas est, quod consultant de interficiendo eo, quem ipsi morti prævalere videbant. *Quærebant eum extinguere, quem cernebant mortuos vivificare, in ore tenebant legem & legis persequerentur autorem,* ait Gregor. lib. 18. moral. cap. 19. quæ enim hæc, per Deum, conclusio? Mortuos vivificat: Ergo est interficiendus. Multa signa facit: Ergo prohibendum, ne ita pergat & plures in eum credant. Hoc verò est *in meridie palpare.* Job. 5. v. 14. Esa. 59. v. 10. Cæcitas est, quod somniant Messiam regnum fore temporale & propter fidem in Christum sibi à Romanis metuunt, cum tamen Christus nequaquam doceret defectionem à Cæsare, sed potius ad regnum quæsitum fugeret. Joh. 6. v. 15. cumque non propter fidem in Christum, sed propter *injustitiam regnum de gente in gentem transferentur.* Sir. 10. v. 8. Cæcitas est, quod à Romanorum potentia sibi metuunt, cum tamen viderent hunc Jesum divinam potentiam in mortuorum resurrectione exerere, poterant igitur ac debebant cogitare, se per eam contra Romanorum potentiam tutos & incolumes fore, maxime cum expectarint, Messiam temporali regno dominaturum & populum Judaicum ab omnibus gentibus liberaturum. Christus miraculis probabat, se invictum esse, potuisset ergo eos contra Romanos defendere. August. tract. 49. in Johan. *Hoc timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret, qui adversus Romanos civitatem Dei templumque defenderet, quia contra ipsum templum & contra paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.* Cæcitas est, quod hoc modo ratiocinantur. *Si permiserimus eum sic, omnes in eum credent & venient Romani ac tollent locum & gentem.* At si omnes in Christum credent, etiam Romani in eum credent & per consequens nihil periculi, nihil belli ab eis metuendum erit. Cæcitas est, quod ob metum Romana invasionis Jesum pro Messia recipere renunt. At secundum hanc ratiocinationem nunquam erit à Judæis vel expectandus vel recipiendus Messias,

fiat, ne Romanorum patiantur incurfus. Cœcitas est, quod existimant nullam felicitatem in populo expectandam, si doctrina Iesu toleretur, perinde ut hodie Pontificii statuunt, incurfiones Turcarum & omnia mala metuenda, si doctrinæ Evangelicæ in Imperio locus detur, cum tamen omnibus prosperitas propter CHRISTUM & ipsius verbum contingat. Quicquid felicitatis populo Israëlítico obtigerat, propter Messiam illi obtigerat, propter hunc data erat terra Canaan, data rot insignes victoriae, constituta ac legibus firmata politia, ut esset certa gens, in qua Messias nasceretur, sed hoc loco primores illius populi statuunt, propter Messiam & eius doctrinam exitium esse huic populo metuendum. An non hæc est stupenda cœcitas? Inde etiam mirabili DEI iudicio factum, ut quod Iudæi timerent, ipsis postmodum eveniret. Proverb. 10. v. 24. Timebant sibi à Romanis, nisi Jesum è medio tollerent, sed quod timerunt, hoc eis postmodum venit. In paschate Jesum occiderunt, in paschate à Romanis obsidentur. August. in Psalm. 52. O stultitia & impudentia: Ti misisti perdere terram & perdidisti cælum. Timuisti ne venirent Romani & tollerent tibi locum & gentem. Nunquid tibi tollerent Deum? quid ergo restat? quid nisi ut jam fatearis, quia tenere voluisti & tenendo male amisisti, perdidisti enim & locum & gentem occidendo Christum & perdidisti & locum & gentem & Christum. Idem tract. 49. in Joh. Temporalia perdere timuerunt & vitam æternam non cogitaverunt & sic utrumque amiserunt. Gregorius libr. 6. moral. cap. 12. Divinum consilium dum deviat, impletur, & humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Id declarat exemplo Iosephi, qui à fratribus venditus, ne adoraretur, sed ideo est adoratus, quia venditus. Timuerunt fratres, ne super eos exeresceret, sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est ut eveniret. Euthymius in h. l. Iudæi pretextum sumserunt occidendi Christum, ne à Romanis internecioni traderentur. Quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt, & qua fecerunt, ne effugerent, ea quia fecerunt, non effugerunt. Et quod magis mirandum, venerunt Romani & sustulerunt locum & gentem, sed credentibus in Christum pepercerunt, constat enim ex Euseb. libr. 3. Histo. Eccles. cap. 5. quod populus Hierosolymitanae Ecclesie oraculi cuiusdam iudicio, quod probationibus per revelationem traditum fuerat, antequam bellum oriretur, ex ea civitate migrare & oppidum quoddam trans Jordanem, quod Pellam nominant, in habitare iussus fuerit, in quod qui in Christum crediderant, relictis Hierosolymis commigrarant, atque ita sancti viri cum ipsam regiam Iudeorum metropolim, tum universam Iudæam reliquissent, divina jam ultio eos, quæ generationem illam impiorum funditus ex hominibus extirparet, quod tanta in Christum & Apostolos inique præsumserant, apprehendit. 3. invidiam & ambitionem, quæ duo vitia vinculo proximæ affinitatis sunt juncta, qui enim honori suo per ambitionem velificatur, is proximi honori & bonis invidet. Hic homo, inquit, facit multa signa. Ergo metuendum ne omnes credant. Ad hæc signa lætitiæ potius in animis eorum excitare debebant, quia fiebant in gloriam gentis Israëliticæ, non autem ullam tristitiam, metum ac sollicitudinem. Sed affectus invidiæ contra Christum relictum iudicium impediabat. Basil. Seleuc. orat. 31.

Harmonia Tomus II, vel Gerhards Continuatione pars Prima,

Erant in oculis densissima miracula, curationum maria omnigenere bonorum profluentia, sed ex b. neficientia luctu conficiebantur & inopiam consilii verbis vulgabant. Morbos abigi conspicati invidiis morbo ad animum usq; proserpente sauciabantur & alienæ miseriæ levamentum domestici Iudeorum doloris fuit seminarium.

Consultationi in Actis hujus Concilii subjungitur Decisio, quam Caiphas sibi soli vendicat. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos non nostis quicquam. Primò Evangelista describit personam. Secundò recenset ejus sententiam. In προφητῶν παρρησιᾶ primò exprimitur nomen. Dicitur fuit Caiphas, quod fuit ipsius cognomen, dicebatur enim aliàs Iosephus, ut constat ex Iosepho Historico libr. 18. antiq. cap. 3. Nomen Caiphæ significat vomentem ore vel vomentem statutum à ΠΝΥ vel ΠΥ vomuit & ΠΩ os, sermo, & specialius statutum Numer. 14. v. 41. quæ etymologia non malè huic Pontifici congruit, quia fastu & ambitione ebrius crudam ac crudelem sententiam contra Christum evomuit. Esaia 28. v. 7. Sacerdos & Propheta erraverunt in sechar, absorpti sunt à vino, erraverunt in sechar, impeerunt iudicio v. 8. quoniam mense omnes repleta sunt vomitu. Mentio fit hujus Caiphæ in Historia Johannis Baptistæ Lucæ 3. v. 2. & in Historia passionis Christi, Matth. 26. v. 57. Ioh. 18. v. 13. 24. & 28. ac persecutionis Apostolicæ Actor. 4. v. 16. ubique autem describitur ut Christi & Evangelii hostis, qui debebat esse Christi typus. Erat enim (quod alterum est descriptionis membrum) unus ex Assessoribus Concilii, non vulgaris, sed reliquorum caput & Concilii Præses, summus scilicet Pontifex, cui ratione officii incumberebatur salutem Ecclesiæ Judaicæ prospicere ac Messiam non solum verbis docere, sed etiam officio & gestis præfigurare. Sed contrarium profus in eo deprehenditur. Ut enim reliquis dignitate erat eminentior, ita odio erga Christum est efferatior, unde Sedulius de ipso dicit, quod fuerit princeps Sacerdotum ac princeps scelerum. Dicitur autem non simpliciter Pontifex, sed Pontifex anni illius. Ex lege Dei unus debebat esse ἀρχιερεὺς per totum vitæ tempus, post cuius mortem demum alius illi surrogandus, Numer. 35. v. 32. quo ipso præfigurabatur unitas & perpetuitas Sacerdotii Christi, sed ab hoc divino præscripto tum temporis longè abierant Pontifices, apud quos venalis erat tum temporis Sacerdotii dignitas. Herodes major commisso sibi à Romanis imperio pessimè abusus Pontificatus honorem ignobilibus Sacerdotibus, qui non erant ex genere Asamonæorum, detulit pro arbitrio eum mutans quoties liberet. Idem factitatum ab Archelao, ut & à Præsidibus Romanis teste Iosepho lib. 20. antiq. cap. 18. cuius ἀραξίας exemplum etiam ante Herodem occurrit. Antiochus Epiphanes primus violatâ DEI ordinatione & perpetuâ observatione honorem Pontificii principatus ereptum cuidam Jesu dicto contulit Onia. Aristobulus Hircano fratri ablatum eundem sibi vendicavit. 2. Maccab. 4. v. 26. Jason submoverat fratrem à Pontificatu, ab eodem verò Menelaus magnis largitionibus eum vicissim submovit. Et quàm desultoriâ levitate Pontifices sibi invicem successerint, patet ex his Iosephi verbis libr. 18. antiq. cap. 4.

A 4

Vale.

Valerius Gratus Judæe Præses adempto Anano Sacerdotio Ismaelem Eabi filium jussit esse Pontificem, quo paulo post dejecto in Eleasarum Anani Pontificis filium eum honorem erantulit. Elapso deinde anno & hunc redegit in ordinem & Simoni Camitibi filio Pontificatum attribuit, hic quoque anno in dignitate ex alto jussus est eam cedere Iosepho, qui cognominabatur Caiphas. Argumentum hoc erat evidens, Sacerdotio Judaico propediem imminere finem, quod contra divinam ordinationem toties erat παράθετον & ambulatorium. Potest autem hæc descriptio status ὁ ὢν ἀρχιερεὺς accipi tanquam causaliter posita. Significat enim Evangelista illum Pontificiâ dignitate & eminentiâ ab usum tam liberè increpasse Collegas ac supinam eis objecisse ignorantiam, simul etiam exaggerat ipsius impietatem, quod cum deberet esse omnibus religiosior & à cæde innocentis abhorreere, præ reliquis in Christum fuerit debacchatus. Erat Pontifex anni illius, in quo Christus unicus ac verus summus Sacerdos Novi Testamenti erat initiaturus, qui annus præ reliquis aliorum Pontificum annis erat memorabilis. Sententia Pontificis sic describitur, quod primò aliorum redarguerit inscitiam, secundo suam protulerit sententiam: *Vos non nostis quicquam, inquit, nec perpenditis, quod expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat.* Videbantur ipsi Collegæ hoc negotium frigidius tractare ac conscientia in occidendo infonte majorem, quam par erat, rationem habere, ideò ipsos magis inflammandos & extimulandos esse judicat. Revera autem in verbis hisce se ostendit Pontificem, non tantum quod reliquos tam alto supercilio contemnit, sed etiam quod inscius prophetat ac veritati testimonium perhibet. Verè hi Assessores nihil quicquam sciebant, hærebant in crassa ignorantia legis divinæ, quam judicabant externa duntaxat peccata prohibere, & Messia, quem temporale regnum in his terris inchoaturum sperabant, intererant huic Concilio absq; consilio & prudentia, absque scientia & conscientia, afferebant ad Concilium affectus vitiosos odii, invidia ambitionis & avaritiæ, quibus animi eorum ita excæcabantur, ut quid verum, quid rectum, perspicere minimè possent. Nec scientia solùm laudem sed & debitæ diligentia ipsi derogat Pontifex. ἔδὲ διαλογίζεσθε, inquit. Videmini vobis pulchrè ratiocinari, quod si Jesum permiserimus liberè docere & miracula facere, magnum à Romanis metuendum sit periculum, sed inconstantia tribuendum, quod ob innocentiam Christi tantoperè à quibusdam Collegis deprædicatam, à sententia vestra iterum dimovemini; vobis utpote vulgaribus Sacerdotibus finalis decisio non venit in mentem, mihi autem utpote summo Pontifici Deus eam inspirat. διαλογίζεσθαι est ratiocinari, momenta argumentorum ultro citroq; ponderare, rationibus in utramque partem pensitatis quid facto op^o sit, prudenter decernere. Syrus habet verbum בשח cogitavit, deliberavit, calculum subduxit. Quod ergo Pontifex dicit, ἔδὲ διαλογίζεσθε, id si accipiatur absolute, & particula subsequens ὅτι sumatur ut merè completiva, tum tribuendum hoc ambitioso Pontificis fastui, quod nullis dialogismis ac ratiocinationibus in consultando ipsos usos fuisse asserit, cum tamen hoc modo ratiocinati fuerint. *Si permittimus eum sic, omnes*

credent in eum, venientque Romani & tollent locum & gentem; ac in sequenti Concilio sic ratiocinantur: *Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo.* Invidia enim, ambitioni & superbiæ semper conjuncta est cæcitas, quæ non videt, quid ab aliis recte vel secus fiat; sin vero accipiatur determinatè & particula ὅτι in proprio & genuino sensu relinquatur, sensus erit: Non venit vobis hic dialogismus, hæc ratiocinatio in mentem, quod expedit unum mori quamvis infontem, quam universum populum in discrimen excidii venire, quæ interpretatio est concinnior. Quidam procul dubio obloquentes sanguinariis votis negabant præstò esse causam satis justam & sufficientem Christum innocentem occidendi, aderant enim Nicodemus, Josephus Arimathæus, Gamaliel, quibus crudelitas illa minimè probabatur, inde tam superbè invehitur Concilii Præses, ac inverecundè & superciliosè aliorum inscitiam & incogitantiam arguit, quod veram decidendi rationem invenire nequeant. Collegæ jam antè illud protulerant, quid enim aliud dicunt, quando sic ratiocinantur: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani ac tollent locum & gentem, quam quod Caiphas subjicit: Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat.* Sed Caiphas ex supercilioso fastu hoc dissimulat, ac suæ sapientiæ hoc tribuit, quod ex Papalis pectoris serinio egregiam illam & decisivam ratiocinationem proferre potuerit. *Expedit nobis, inquit.* Singula verba suum habent pondus. Non dicit necessarium est. Reverà statuebat, necessarium hoc esse, interim τὰ σκληροὶ μαθηταὶς proferens Συμφέρον illud ipsum dicit, ut à necessitate absoluta ad necessitatem expediendi Collegarum animos deducat. Scopus consultationum debet esse publicum Ecclesiæ ac Reipublicæ commodum, ut enim habet lex 12. tabb. *Salus populi suprema lex esto,* quando ergo Pontifex sententiam suam sic orditur, expedit nobis, autoritatè & benevolentiam decisivo suo voto conciliare nititur, quod talia velit proferre, quæ salutem Ecclesiæ & Reipublicæ Judaicæ concernant. Nec simpliciter dicit, expedit, sed *expedit nobis.* Quædam exemplaria Latina legunt vobis, id eò accommodari posset, quod Caiaphas etiam in hac vocula inscius prophetet atque à fructu Dominicæ passionis seipsum excipiat. Sed Græci Codd. omnes legunt *ἡμῖν.* Syrus etiam legit *nobis.* Potuisset Caiaphas dicere, expedit toti populo, sed ut Collegas in rem præsentem deducat, eosque magis inflammet, ideò dicit, *expedit nobis,* id est, de omnium nostrum salute & vita agitur. Romani auditâ seditionis hujus per CHRISTUM concitatæ famâ venient cum exercitu & de nobis potissimum pœnas exigent, qui suprema Dicastræ Assessores sumus, quod malum hoc ratione officii non in ipsa herba opprefferimus ac seditiosum hominem maturè è medio submoverimus. Expedit ergo nobis, *ut unus homo,* quicumque tandem sit, sive hic JESUS, sive alius, sive nocens, sive innocens moriatur, quia publicum bonum etiam cum jactura vitæ & privati alicujus hominis conservandum. De unius hominis vita conservanda operose deliberatis, atque interim non expenditis, eam cum totius populi internecone conjunctam fore. Homo vulgaris est, non promissus Messias, non

non

non Angelus, non Propheta aliquis, parum igitur pensi habendum, si in unius hujus vita jactura quædam facienda. *Expedi, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat.* ὑπὲρ τῆ λαὸς est ἀντι τῆ λαὸς vice populi per Romanos alioqui excindendi, quo sensu ἡ ὑπὲρ usurpatur Genes. 4. v. 25. cap. 30. v. 2. Exod. 7. v. 1. Prov. 11. v. 8. Syrus habet particulam בלתי quæ significat *vice, loco, propter à rad.* בלתי *permutavit, variavit.* Posset etiam ὑπὲρ accipi simpliciter pro præpositione *pro*, ut sic Caiaphas habeat Christum velut κάθαρμα καὶ περιλυμα, sicut gentiles habebant piaculares suas hostias, quas pro totius gentis incolumitate offerebant. Sed prior expositio est simplicior, interim sensui, quem Spiritus sanctus intendit, optimè convenit illa significatio τῆ ὑπὲρ pro populo, id est, populi expiandi & Deo reconciliandi causa, sicut alibi Christus dicitur passus ac mortuus *pro omnibus* Rom. 8. v. 32. *pro peccatis mundi* 1. Joh. 2. v. 2. *pro mundi vita* Joh. 6. v. 51. quamquam etiam dici potest Christus mortuus ἀντι ἡμῶν vice nostri, quatenus nostram vicem subiit, peccata nostra & pœnas peccatorum nostrorum in se recepit, ac velut fidei jussor debitoris loco se constituens mortem, quam nos promeriti eramus, nostro loco sustinuit. καὶ μὴ ἄλλοι ἐθνή, ἀπόληται hoc est, μᾶλλον ἢ ἵνα ὄλων τὸ ἐθνή ἀπόληται. Instituitur enim comparatio inter duo mala, quorum minus sit eligendum, cujus pharæos exempla etiam alibi occurrunt. Opponitur invicem ἡ ἀποθήσκων mori tanquam minus, & ἡ ἀπολεσθαι perire tanquam majus. Mori potest quis sponte & liberâ voluntate, sed perire & exitio obnoxium reddi, non potest esse spontanei arbitrii. Per mortem non interit totus homo, quia anima superstes manet & corpus aliquando è sepulchro ad vitam refuscitatur, sed ἡ perire exitium corporis & animæ, temporale & æternum complectitur. Sic ergo Pontifex hac oppositione evincere satagit, longè satius esse ut unus homo pro populo moriatur, quam ut tota gens Judaica, (de ea enim hic loquitur & subintelligendum ἡ ἐθνή ἡμῶν) miserabiliter intereat, quod cum multorum æterno exitio esset conjunctum. Apparet autem ex hac decisione, 1. quod nimium studium rerum terrenarum & tranquillitatis politicæ homines à cura religionis abducit, eorumque oculos ita perstringat, ut dum de terra nimium solliciti sunt, cœlum interim amittant, Matth. 19. v. 22. dum regionem in pace & tranquillitate conservare præposterè satagunt, religionis jacturam faciunt. 2. Proponitur etiam exemplum prudentiæ humanæ, quæ nullâ habitâ juris & pietatis ratione regni incolumitatem, quocunque fieri potest modo, stabiliendam esse autumat. *Si jus violandum, regnandi causâ violandum, in reliquis pietatem colas. Jus, pietas, virtus, privata bona sunt, Reges quâ juvat, eant.* Sic Abimelech septuaginta fratres suos, Joramus itidem omnes fratres suos occidit, ut regnum sibi suæque domui confirmarent, Jud. 9. v. 5. 2. Paral. 21. v. 4. Sed peccatis non stabiliuntur regna, nec avertuntur pericula, quin potius occisione innocentium Dei ira concitatur & pœna regioni, in qua innocens sanguis effunditur, attrahitur, proinde absurdum & præposterum est propter commodum temporale Reipubl. innocentem sanguinem effundere.

Atque hæc erat decisiva summi Pontificis sen-

tentia, quam Spiritus sanctus per Evangelistam sic interpretatur, quod in ea Pontifex inscius de fructu Dominicæ mortis vaticinatus fuerit. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, vaticinatus est, quod Jesus moriturus esset pro gente.* προσφῆτευσεν ὅτι ἐμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τῶ ἐθνῶς. Τὸ ὅτι quidam accipiunt *causaliter*, quod debeat Jesus mori, sed potest etiam accipi *objective*, quod esset moriturus. Non autem dixit hoc à semetipso, id est, proprio instinctu. Syrus habet צבחה נפשה מו *ex voluntate anime suæ live ipsius*: sed Spiritus sanctus sic movit & direxit ipsius linguam, ut præter cogitationem vaticinium de morte Christi proferret ac totam rationem sacrificiorum Vet. Testam. in unicum Christi sacrificium transferret. *Erat enim Pontifex illius anni.* Non quasi omnia, quæ protulerint Pontifices, fuerint Prophetiæ, nec quasi ob perpetuam Spiritus sancti assistentiam privilegium non errandi & infallibilitatis semper habuerint, fuerunt enim Pontifices quidam impii & idololatræ, ut Historia Vet. Testamenti ostendit, & Caiaphas ipse paulò post impias contra Christum blasphemias profert & gravissimè in condemnando Christo, id est, repudiando & convellendo totius Ecclesiæ fundamento errat, sed primò voluit Deus manifestum facere, se ministerio ac Sacerdotio à se instituto favere. Sedebat Caiaphas in *Cathedra Moysi* Matth. 23. v. 2. erat successor Aaronis, in publico docendi officio constitutus. Erat quidem impius, superciliosus, ambitiosus, invidus, interim officium, quoungebatur, divinitus erat institutum. Deus ergo ponit in ore ejus verba Prophetica, sicut etiam per os Bileami avari & impii Prophetæ loquitur, ut ostendat, Pontificatum esse per se divinum & legitimum ministerium. Deinde voluit Deus ex ipsa Pontificia sede de fructu Dominicæ mortis Propheticum aliquod promanare oraculum, quò minus excusationis Judæis superesset, quod ne propriis quidem Pontificibus fidem adhiberint. Possumus igitur hoc Caiphæ vaticinium pertinacibus Judæis opponere, cum primis verò etiam illud, quod in Thalmudicis ipsorum libris similia dicta de Messia officio extent. Nam in libro Joma scriptum legimus: *Si lex judicii incedit Expedi, ut veniat innocens & satisfaciatur pro reo, non autem ut veniat reus satisfaciaturus pro reo.* Et in Midras super id Cantici Cantorum: *Botrus cyprî dilectus meus mihi, sic habetur. Dixit Ecclesia Israël coram Deo sancto & benedicto: Æterne Deus, eâ hora, quâ tribulas me, dilectus meus es tu. In efficeris dilectus meus & providebis mihi. O quem hominem? qui erit in me, qui poterit dicere legi judicii, sufficit. Et tu assumes eum & trades eum pignus pro me. Et hoc est, quod scriptum est Cantici Cantorum.* וְאֵין כֹּל חֶכְרָא דְּרוּרֵי, *Vir omnia satisfaciens dilectus meus mihi.* Et quid est כֹּל חֶכְרָא? כל חֶכְרָא *Vir in quo omnia (substitutis aliis punctis quam quæ sunt in nostro textu Hebraico) & quid חֶכְרָא? qui parcat sive satisfaciatur, quia erit parcens sive satisfaciens pro peccatis Israël.*

Tertiò, annum illum, in quo Christus seipsum erat in sacrificium oblaturus, voluit Deus per varias prophetias illustrem reddi, non tantum à piis, sed etiam impiis, quantumvis inscius, prolatare. Denique manifesto exemplo demonstrare voluit, etiam pessimos homines Spiritu prophetiæ quæ-

dam

dam prædicere posse, ut notat August. tract. 49. in Joh. Bileamus erat impius & tamen Propheta. Num. 22. v. 8. c. 24. v. 3. Pharaoni Ægyptio inspirat Deus somnium Propheticum Gen. 41. v. 39. ut & Nebucadnezari Assyrio, Daniel. 2. v. 47. impii in die novissimo dicent: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & multa miracula fecimus?* Matth. 7. v. 22. Populus Judaicus de excidio propediem secuturo in Historia passionis vaticinatur, quando exclamat: *Sanguis ejus sit super nos & super filios nostros*, Matth. 27. v. 25. absit igitur, ut donum prophetiæ vel veræ pietatis vel veræ Ecclesiæ infallibilem notam statuere velimus. Rectè autem monet Origenes, Caiapham propter hoc propheticum vaticinium propriè loquendo non posse dici Prophetam, ac Thomas monet, hanc non fuisse prophetiam, sed duntaxat *instinctum aliquem Propheticum*. Quemadmodum enim non statim est Medicus, qui semel aliquid medicinæ facit: ita non statim Propheta est, qui Propheticum aliquod verbum profert. Præterea non protulit Caiaphas hæc verba Prophetica ex seipso, ita ut vim & genuinum eorum sensum à Spiritu sancto intentum intelligeret, sed inscius & ignarus Prophetiæ prædictionis in illis latentis; unde Rupertus eum comparat cymbalo tinnienti. *Caiaphas*, inquit, *cum esset cymbalum magnum, clare tinnivit, quia virtutem loquelæ suæ non magis advertit, quam tinnitum suum cymbalum sentit*. Ipse nullam habuit cognitionem de secreto Dominicæ passionis, quod esset futuri toti humano generi salutaris & pro peccatis hominum satisfactoria, sed tantum intendit, dare consilium de morte Christi acceleranda propter periculum à Romanis toti genti Judaicæ metuendum. Quatenus igitur hæc verba vaticinium continebant, non dixit ea à seipso, sed actus & motus à Spiritu sancto, nec intellexit Jesum sic moriturum pro populo, quomodo per ipsum S. S. hoc significare voluit. Direxit quidem Spiritus sanctus linguam Pontificis ad proferenda ejusmodi verba, quæ significarent mortem Christi toti humano generi profuturam: non tamen tetigit cor ipsius, ut sublimiorem illum sensum ipsimet intelligeret, proinde etiam Caiaphas propter hæc verba Prophetica Propheta dici nequit. *Quemadmodum enim asina Bileami non potest propterea dici animal rationale, quod verba rationalia protulerit, quia non processerunt ex interiori conceptu in propria cognitione, sed magis ex divina motione: sic Caiaphas non potest dici Propheta ex eo, quod verbum Propheticum ignorans protulerit Spiritu sancto linguam ejus sic movente, quæ est similitudo Lyrani facis congrua*. August. libr. 16. contra Faustum cap. 27. hoc ait fuisse discrimen inter Mosen & Caiapham, quorum uterque de Christo prophetavit, quod ille sciens, hic vero nesciens dixit, quæcunque dixit. *Hoc enim egit in Caiapha Propheticum christum, ut prophetaret, hoc autem vita impia, ut nesciens prophetaret*. Pontificii hisce verbis duplici modo abutuntur. Primò enim ex eis deducunt infallibilitatem sui Pontificis Romani. Salmero tom. 8. tract. 54. p. 430. *Si non defuit Spiritus sanctus moribunda & illo anno peritura Synagoga, multò minus Christi vicario & universalis Ecclesiæ Pastori deesse poterit*. Eodem argumento utitur Staplet. libr. 5. cap. 9. de princip. doctrin. Atqui i. summus Sacerdos Vet. Testamenti divina gaudebat institutione, qua Pontifex Romanus in

Nov. Testamento destituitur, neq; enim Pontificis Romani, sed solius Christi typus erat Vet. Testamenti Pontifex. 2. *Privilegia singulorum non possunt facere legem communem*, ait Hieronym. in cap. 1. Jonæ. Ergò ex hoc peculiari dono & privilegio Caiaphæ, quod semel prophetaverit, non potest inferri lex communis, quod omnes Pontifices omni tempore prophetent & vera dicant. 3. Multi Pontifices Vet. Testam. gravissimè errarunt, ut Aaron Exod. 32. v. 5. Urias 2. Reg. 16. v. 10. Passur Jer. 20. v. 2. &c. 4. Caiaphas ipse & in hoc & in sequentibus Conciliis gravissimè errat, statuit enim Christum esse occidendum, ne gens Judaica à Romanis deleatur, Christum esse blasphemum, propterea quod se Dei Filium & promissum Messiam profiteretur, Christum esse seditiosum ac proinde seculari potestati ad supplicium tradendum, qui fuere capitales errores ipsum fidei fundamentum evertentis. 5. Invertimus igitur argumentum: Si Caiaphas erravit, qui erat Aaronis successor, ergò multò magis Pontifex Romanus errare potest, qui Pontificatus sui institutionem ex tabulis divinæ veritatis nondum demonstravit. Bellarm. libr. 2. de Pontif. Roman. cap. 12. fatetur, *forte non esse de jure divino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, succedere Petro in præfectura totius Ecclesiæ*. 6. Si collatio recto debet stare talo, sic erit instituenda: *Quemadmodum Caiaphas semel in omni vita inscius prophetavit, in Christo condemnando interim gravissimè errans: Sic Pontifex Romanus semel duntaxat & quidem inscius prophetat, gravissimos interim errores contra fidem CHRISTI propugnans, quod privilegium non inviti ipsi concedimus*. Deinde ex hoc loco evincere conantur, unius dicti posse esse duplicem sensum literalem. Salm. tom. 1. prolegom. pag. 82. Cornelius à Lapide in præfatione pentat. can. 36. Barrad. in h. l. Atqui i. si vel maximè daretur hujus dicti duplicem esse literalem sensum, illud tamen non posset nec deberet referri ad alios Scripturæ textus. Nam v. 51. expressè additur explicatio, quod alio sensu aliave intentione Caiaphas, alia verò S. S. extraordinariè per Caiapham locutus ista verba protulerit. Hæc verò ratio non habet locum in aliis Scripturæ dictis, sed varios illos sensus, quos Pontificii urgent, ex variantibus Patrum expositionibus in Scripturas inferunt. Præterea verba illa sunt Caiaphæ inscienter $\pi\epsilon\omicron\varphi\eta\tau\epsilon\upsilon\omicron\upsilon\tau$, quæ Historicè tantum ab Evangelista recensentur. Diverfa autem est ratio aliorum Scripturæ textuum, in quibus ipse Spiritus per Prophetas & Apostolos scienter prophetantes loquitur, & divinam voluntatem nobis manifestat, ubi sensuum illa multiplicitas locum habere nequit. 2. Negamus verò hic duplicem esse literalem sensum. Manet enim unus duntaxat literalis verborum istorum sensus, quem intendit Spiritus sanctus, licet alium intendat Caiaphas. Caiaphas mortem CHRISTI vult ad avertendam Judæorum temporalem perditionem: Spiritus Sanctus in remedium æternæ mortis CHRISTUM pro genere humano moriturum significat. Distinguendum igitur inter sensum hujus dicti $\vartheta\epsilon\omega\acute{\omega}\delta\eta$, qui est, quod expediat unum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat, & inter dicti causam finalem & applicationem, quæ respectu Caiaphæ & Spiritus Sancti ut & Evangelista

gelista diversimodè sese habet. 3. Sensus literalis est is, quem Spiritus sanctus scripturæ autor in verbis propriè acceptis intendit. Jam verò Spiritus sanctus in verbis Prophetis à Caiapha prolatis unicè hunc sensum intendit, quem Evangelista ex ipsius inspiratione & illuminatione exponit. Ergò hic est unicus literalis & proprius hujus dicti sensus. Proinde juxta Spiritus sancti intentionem hoc sibi volunt Prophetica Caiaphæ verba: Expediit nobis, id est, in sanctissimo Trinitatis decreto salutare & expediens visum, non tantum Judaicæ genti, sed toti humano generi, ut unus homo, videlicet Christus Jesus, proprius & unigenitus Dei filius Joh. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. qui est *unus homo in gratia*, Rom. 15. v. 5. *unus Mediator Dei & hominum*, 1. Tim. 2. v. 5. *unus Magister*, Matth. 23. v. 10. *unus Dominus*, 1. Cor. 8. v. 6. *unus Jesus*, Rom. 5. v. 17. ut inquam, *unus ille moriatur pro omnibus*, 2. Cor. 5. v. 4. ac det *seipsum pretium redemptionis pro omnibus*, 1. Tim. 2. v. 5. Quod autem illud dicitur *ἵνα πέσῃ* non est eo sensu accipiendum, ac si redemptio per Christi mortem tantum fuerit utilis ac salutaris, non autem necessaria, sicut Lombardus 2. sent. dist. 44. lit. C. Tom. part. 3. q. 1. art. 2. & eos secuti quidam ex Calvinianis. Polanus part. 3. thes. Theol. p. 59. Zanch. lib. de incarn. p. 92. Paræus in Epist. Rom. Frid. Bröckerus in antid. error. Vorstii cap. 21. p. 68. Sibr. Lubertus in catal. error. 278. &c. disputant, *Deum aliam rationem invenire potuisse, quàm ipsi reconciliaremur, quam mortem Filii*, cum tamen divinæ justitiæ aliter non potuerit satisfacere, quam per *ἀποθνήσκον*, quod nec Angelus nec nudus homo præstare poterat, unde Cyrillus lib. 5. thesauri c. 7. rectè scribit, *Christi passionem unicum potuisse esse liberationis nostræ medium ac remedium*, quia Christus Luc. 24. v. 26. 44. 46. utitur verbo necessitatis *ἵνα oportebat Christum pati*. Id eò autem Spiritus sanctus hoc loco usurpat verbum *ἵνα πέσῃ*, primò quia ipsa generis humani redemptio non erat absolutæ necessitatis, sed liberimæ divinæ misericordiae. Si Deus totum genus humanum à facie sua abjecisset, ut Angelos in peccatum lapsos, nihil quicquam contra suam justitiam egisset. Secundò quia quod expedit, potest quandoq; esse simul necessarium, unde oritur necessitas expediendi. Tertiò quia missio Filii erat hypothetica, sed missio divinæ personæ erat necessaria, si generi humano auxilium ferendum esset. Neq; enim aliâ ratione quàm per plenariam satisfactionem salvâ divinâ justitiæ genus humanum redimi potuit. Eam verè non nisi divina persona præstare potuit, quod autem secundæ Deitatis personæ hoc officium commissum, illud divinæ sapientiæ expediens & commodissimum fuit visum. Cæterum quia ex allegatione sententiæ à Caiaphæ prolata, quod Christus moriturus esset pro gente, videri poterat, quod Christus tantum pro Judaici populi peccatis mortem subiturus esset, sicut etiam huic populo peculiariter erat promissus ac negabat se esse missum nisi ad oves perditas domus Israel, Matth. 15. v. 24. idèò Evangelista per extensionem subjicit: *Et non tantum pro gente* (Judaica de qua Caiaphas propriè locutus fuerat) *sed & ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, id est, Christi mors erit pretium pro omnium hominum ac totius mundi peccatis, sicut ex clarissimis Scripturæ dictis colligitur. Joh. 1. v. 29. cap. 3. v. 16. cap. 4. v. 42. Rom. 5. v. 8.

2. Cor. 5. v. 14. 1. Tim. 2. v. 6. Hebr. 2. v. 2. &c. Eadem extensione utitur Johannes 1. Epist. 2. v. 9. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis*, & Christus ipse dicit Joh. 10. v. 16. *se adhuc alias oves habere, quæ non sint ex ovili Judaicæ gentis, quas iridem adduci oporteat*. Quod ergò se negat esse missum nisi ad oves perditas domus Israel, id accipiendum de missione ad Evangelii prædicationem, quo respectu Christus dicitur *minister circumcisioni*, Roman. 15. v. 8. non autem de missione ad redemptionem, quæ totum genus humanum spectat. Observandum verò est, Evangelistam non simpliciter dicere, Christum pro omnibus hominibus moriturum, sed, *ut filios Dei, qui erant dispersi, in unum congregaret*. Quidam id accommodant ad reductionem decem tribuum per Salmanassarem in Assyriam abductarum, ut sit sensus: Christus moriturus erat non tantum pro gente Judaica ex tribu Benjamin & Juda post Babylonicam captivitatem in Palæstinam recollectâ, sed ut filios Dei, id est, reliquas tribus Israël, quæ erant dispersæ, id est, in dispersione & exilio adhuc versarentur, Esa. 43. v. 6. Jacob. 1. v. 1. in unum congregaret. Sed beneficia mortis Christi non spectant hanc vitam, nec Christ⁹ eo fine mortuus est, ut decem tribubus Israeliticis reductionem in terram Canaan promereretur, sed ut aditum ad cœlestem Patriam, per terram Canaan præfiguratam hominibus patefaceret. Necdum evidentibus Scripturæ oraculis demonstratum, expectandam adhuc esse Israelitarum in terram Canaan reductionem, quæ enim pro ea asserenda magno numero adducuntur, ea de collectione Ecclesiæ N. Testamenti ex Judæis & gentibus loquuntur, de qua Prophetæ verbis V. Testamenti vaticinantur. Quidam intelligunt verba Evangelistæ de his, qui jamdum actu erant filii Dei & virtutem Dei gratiâ colebant, etiam si Christum nondum agnoscerent, ut Eunuchus Regine Candace & Cornelius Centurio. Sed *ἀδύνατον* est, aliquem posse filium Dei eo sensu dici, quo Evangelista hac nomenclaturâ hic utitur, sine cognitione Christi. In regno naturæ respectu creationis omnes homines suo modo possunt dici filii, quia est unus Pater omnium & Deus unus creavit eos. Malach. 2. v. 10. sed in regno gratiæ respectu *υἱοθετίας* soli credentes in Christum sunt Dei filii Joh. 1. v. 12. Gal. 3. v. 27. Eph. 1. v. 6. &c. & favet hæc opinio errori de salute saniorum gentilium, quæ absque ulla Christi cognitione ipsis obtigerit. Augustinus filios Dei putat dici *ratione prædestinationis*, ut sic vocentur filii Dei non ratione status præsentis, sed quia tales erant in divina prædestinatione. *Secundum præscientiam & prædestinationem*, ait tract. 45. in Joh. *quam multe oves foris, quam multi lupi intus? Dicuntur filii Dei*, ait Lyranus, hoc loco non quod filii Dei essent actu, sed in potentia ad actum reducenda, quia erant, prædestinati, sicut etiam agnus dicitur *occisus ab origine mundi* Apocal. 13. v. 8. non ratione ipsius actus immolationis, sed respectu prædestinationis & decreti de immolatione certò secururâ & respectu efficacæ. Sed quia Evangelista loquitur de collectione Ecclesiæ ex toto genere humano, ut verba ista testantur, & verò nō omnes qui per verbum & Sacramenta in Ecclesiam colliguntur, sunt prædestinati, idèò rectius accipitur de toto vocatorum cœtu, qui dicuntur filii Dei & oves

& oves Christi tūm *οὐκ ἐστὶν χυμῶς*, quia in illo vocatorum cœtu semper sunt aliqui verè in Christum credentes, veri Dei filii & ad salutem æternam electi, tūm *οἰομένως*, quia iudicio caritatis omnes pro filiis Dei & electis habentur, dummodò per manifestam apostasiam & notoria delicta sese ab hoc cœtu non segregent. Dicuntur autem illi, qui futuri erant Dei filii, adhuc *dispersi* non tantum ratione diversarum regionum & locorum, sed etiam respectu variorum ac diversorum rituum, superstitionum, & idololatriarum gentilium. Quod enim de gentilibus propriè hic sermo sit, patet ex oppositione. Christus moriturus erat non tantum *ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων*, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret, ubi magna est emphasis articuli *διεσκοπῆσθαι οὐρανῶν*, ut certam gentem, Judaicam puta, cum reliquarum gentium hominibus sive gentilibus conferri intelligamus, sicut etiam Apostolus omnes homines in *Iudeos & gentes* distribuit. Rom. 1. v. 13. cap. 2. v. 10. cap. 3. v. 9. Gal. 2. v. 15. cap. 3. v. 28. &c. Ipsa quoq; vox *διεσκοπῆσθαι* ad considerationem status gentilium nos deducit, quod gentiles non ut Judæi in una regione habitarent, nec per unitatem religionis & unam formam politia conjuncti, sed ab Oriente ad Occidentem, a meridie ad Septentrionem dispersi fuerint, quæ dispersio in confusione linguarum circa extructionem turris Babylonicæ originem cœpit. Gen. 11. v. 8. Quia verò per captivitatem Babylonicam & abductionem in Assyriam & alias regiones etiam Judæi fuere dispersi Deut. 30. v. 1. 3. Nehem. 1. v. 8. Jer. 9. v. 15. c. 43. v. 5. Ezech. 4. 13. ideò non tantum de gentilibus, sed etiam de Judæis *παρὰ τὸν κόσμον διεσκοπῆσθαι*, ut Petrus eos vocat 1. Epist. 1. v. 1. *οἱ ἐν τῇ διασπορᾷ*, ut Jacobus loquitur cap. 1. v. 1. qui inter gentes post excidium Hierosolymitanum dispersi erant, hoc accipi potest, quod ex illis etiam quosdam in Ecclesiæ suæ consortium Christus per Evangelii prædicationem vocaverit, unde Dionys. Carthusianus verba Evangelistæ sic *ἑρμηνεύει*: *Iesus moriturus erat pro gente, id est, gentilium redemptione, juxta illud Esaiæ. Dedi te in lucem gentium. Et non tantum pro hac gente, sed ut filios Dei, id est, electos Iudeos unius Dei cultores, qui erant dispersi per mundum habitantes, congregaret in unum, id est, in eandem fidem Christianam atque ecclesiasticam unitatem. Cumque διασκοπῆσθαι* propriè de ovibus usurpetur Jerem. 23. v. 1. Zach. 13. vers. 7. Joh. 10. v. 12. ideò deducit nos hæc vocula ad considerationem primævi status. In prima creatione Angeli & homines constituebant unum ovile, cuius Pastor erat Deus, sed infernalis lupus ex hoc ovili primos homines & in illis omnes eorum posteros *διεσκοπῆσθαι*, Joh. 10. v. 12. Christus ergo ut unicus ac verus *ἀρχισκοπῆσθαι*, divinitus constitutus in hunc mundum venit & in assumta humana Natura mortem sustinuit, ut oves dispersas iterum in unum colligeret, id est, ut ex Judæis & gentibus unam Ecclesiam congregaret, ut filios Dei per univèrsam terrarum orbem dispersos & per peccata à Deo segregatos, Esaiæ 59. v. 2. in unum colligeret & unum populum ex Judæis & gentibus faceret, hunc enim inter reliquos esse finem & fructum Dominicæ mortis, docent Esaias cap. 53. v. 10. *Si pauerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, ac Paulus Ephes. 2. vers. 13. *vos qui aliquando eratis longè, facti estis pro-*

pe in sanguine Christi, vers. 14. ipse enim est pax nostra qui fecit utraq; unum. Christus igitur non tantum mortuus est ad præbendum exemplum imitationis 1. Joh. 3. v. 16. & ad ostendendum erga nos iudicium divinæ dilectionis Rom. 5. v. 8. 1. Joan. 4. v. 9. sed etiam ac cum primis ad exolvendum pretium nostræ redemptionis, proinde mors Christi est primo *satisfactoria & expiatoria*, quippe per quam Deo totum genus humanum est reconciliatum, quo ipso mors Christi ab omnium sanctorum morte longissimè distinguitur, *pretiosa illa* quidem *coram Deo* Psal. 116. v. 15. quia per eam *glorificatur*, Joan. 21. v. 19. sed laudem satisfactionis & expiationis illi non possumus tribuere, verum ea solius Christi morti unicè debetur. Deinde est *pacificatoria & evocativa*, quia Christus morte sua sustulit causam inimicitia inter Deum & homines, puta peccatum; sustulit etiam causam dissidii & separationis gentium à Judæis, puta legem Mosaicam Cereimonialè ac forensè; promeruit insuper ac donat omnibus in se credentibus Spiritum sanctum, quo omnes in unum corpus mysticum rediguntur. Atque hic fructus mortis Christi ratione *acquisitionis* ad omnes homines, ad omnes nationes & populos, Judæos & gētiles pertinet, unde in verbo Evangelii omnibus offertur & annunciat, sed ratione *applicationis* tantum credentibus obtingit, qui beneficia mortis Dominicæ in verbo Evangelii oblata verà fide amplectuntur, sibiq; applicant. Hoc respectu Christus suscipit nos in humeros & ad ovile pristinum, ex quo per peccatū aberravimus, reportat, Luca 15. v. 5. ut sic tum meritum efficaciam ratione Christo accepta ferenda sit Ecclesiæ congregatio. Et quia unus atque idem est Spiritus fidei, qui in omnibus verè piis & credentibus fidem operatur, auget & confirmat, inde etiam omnes congregantur *ἐν ἐν*, in unam doctrinam, in unam fidem, unam Ecclesiam, unam eandemque communicationem beneficiorum Christi, adeoq; in unum corpus mysticum, cuius caput est unus Christus, quodque ab uno & eodem Spiritu regitur & ad unam hereditatem cœlestem toto cordis desiderio aspirat, de qua unitate præclarè disserit Apostolus, Eph. 4. v. 3. 4. 5. & 6. Hæc unitas constituit unam Ecclesiam Catholicam, cuius vera & genuina definitio hic traditur, *quod sit cœtus filiorum Dei per prædicationem Evangelii de Christo pro nobis mortuo in unum congregatus.* Quotquot ergo prædicationi Evangelicæ de Christo credunt, illi fiunt vera Catholica Ecclesiæ membra, ac veri Dei filii, *scilicet autem filii, utique etiam hæredes.* Rom. 8. v. 17. Ad hanc unitatem non requiritur visibile aliquod caput, sicut Pontificii Ecclesiam definiunt, *quod sit cœtus hominum ejusdem fidei professione & eorundem Sacramentorum communionè colligatus sub regimine legitimum Pastorum ac præcipuè unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis.* Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 2. Sed de hoc vicario Christi & visibili Ecclesiæ universalis capite & hoc loco & alibi altum in Scripturis est silentium, cum ubique ad Christum velut unicum Ecclesiæ caput remittamur. Neque illud prætermittendum, quod Evangelista de collectione Ecclesiæ N. Testamenti utatur verbo *συνάγειν*, sicut etiam Matth. 23. v. 37. Christus loquitur, *quoties volui ἐν συναγωγῇ ἐν.* Jacobus cap. 2. vers. 2. *si introierit eis τὸ συναγωγήν in conventum vestrum.* Hebr. 10. vers. 25. *non deserentes συναγωγήν.*

αγωγην εαυτων. Syrus habet verbum כנסו à quo formatur nomen כנסו Ecclesia. Frivolum igitur est, quod Bellarmin. disputat lib. 3. de Eccles. cap. 1. *populum Vet. Test. proprie dici Synagogam, id est, congregationem: populum autem Nov. Test. nunquam dici Synagogam, sed semper Ecclesiam. Congregari enim, inquit est commune homini cum bestiis, at evocari proprie hominum.* Catech. Trident. in expos. Symb. p. 111. adhuc longius progreditur, quando asserit *populum Vet. Test. dici Synagogam, quod terrena & caduca tantum bona spectavit.* Sed hac ratione ex sancta Vet. Test. Ecclesia faciunt aram porcorum & stabulum brutorum. Quanto rectius dicitur, utrique cœtui & Synagogæ & Ecclesiæ nomen competere (quamvis ob causas suo loco expositas Apostoli de cœtu Christianorum in Nov. Test. maluerint Ecclesiæ nomine sepius uti, quàm Synagogæ) illud ratione termini ad quem, quia per prædicationem verbi homines in unum aliquem cœtum & sanctum populum colliguntur, hoc verò ratione termini à quo, quia per eandem verbi prædicationem homines ex genere humano vocantur.

Sic ergo vidimus hæc, quomodo Caiaphas inscius præclarum de fructu Dominicæ mortis ediderit vaticinium, ex quo evidenter conspicitur, Deum pro ineffabili sua bonitate mala in bonum vertere atque impiis hominum voluntatibus, dictis & factis bene uti posse. Impius Pontifex hisce verbis ad promovendam innocentis Christi occisionem Collegas suos inflammare voluit, sed Spiritus sanctus illis ad præclaram de fructu mortis Dominicæ Prophetiam usus est, imò linguam Caiaphæ sic direxit, ut talia proferret verba, quibus significaretur, Christi morte genus humanum ab æternâ morte esse liberandum. Non ergo in Caiapham duntaxat, & reliquos Pontifices, Scribas & Phariseos Concilii hujus Affessores oculos nostros dirigamus, sed manu ductionem Spiritus sancti & informationem Evangelistæ secuti cogitemus in admirando sacrosanctæ Trinitatis Concilio convenisse justitiam, misericordiam, sapientiam, potentiam ac veritatem Dei, in quo de hominis lapsi punitione vel redemptione fuerit deliberatum; justitia puniendum, misericordia redimendum dicebat, tandem divina sapientia hoc decretum protulit: *Expediit, ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat, sicut hac de re pulcherrimæ meditationes extant apud Bernhardum serm. 1. de annunc. qui serm. 28. in Cant. hoc oraculum Caiaphæ, quatenus per illud fructus mortis Christi propheticè fuit significatus, suavissimis verbis sic exponit: Expediit ut unus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati & non tota gens nigredine condemnetur peccati. Splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in forma servi pro vita servi. Candor vite æternæ nigrescat in carne pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum pro filiis hominum illuminandis obscureretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species nec decor, ut sibi speciosam atq; decoram acquirat sponsam Ecclesiâ sine macula & ruga.*

4. Videmus tandem exitum ac recessum hujus Concilii, in quo maximum momentum esse solet. Ab illo igitur die consultaverunt, ut interficerent ipsum. Summi Pontificis sententiæ plerique omnes asfurgunt & frustra contradicentibus Nicodemo, Josepho Arimathæo, Gamaliele & aliis modera-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

tioribus, per majora fit decretum, Jesum esse è medio tollendum. Quidam Codd. manuscript. legunt απ' εκεινης της ωρας, atque ita legit etiam Cyrillus in Catena Græcorum, sed nostra exemplaria, ut & Syrus Interpres habent, Ab illo die, quamvis res utrobique redeat, nam per diem & horam in genere tempus significatur. συνεβλεψεν est consilia conferre, conjunctis animis consultare Matth. 26. v. 4. Act. 9. v. 23. ac simpliciter consulere vel consilium dare Joh. 18. v. 14. Apoc. 3. v. 18. sicut etiam LXX. utuntur pro εβουλησθη, consilium dedit. Exod. 18. v. 19. Num. 24. v. 14. &c. simul consultavit 1. Reg. 12. v. 8. & 13. 2. Paral. 10. v. 8. cap. 20. v. 22. Esa. 40. v. 14. Dan. 6. v. 7. Sir. 8. v. 22. &c. Sed quia Pontifices jamdum συνεβλεψεντο conspicerant ac decreverant, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum, feret δραστωσων Joh. 9. v. 22. ac jam olim quæsierant eum interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo Joh. 5. v. 18. cap. 7. v. 1. 20. 25. 30. 32. & 44. cap. 8. v. 37. & 40. cap. 10. v. 39. quin & lapides jamdum contra ipsum sustulerant Joh. 8. v. 59. cap. 10. v. 31. quia etiam non videtur verisimile, quod ab eo die de Christo interficiendo consultaverint, cum illo die id decreverint, ideò quidam existimant, hanc significationem huic loco non congruere, ac proinde censent vertendum esse, communi consilio statuerunt, unanimi suffragio decreverunt. Sed hujus significationis vix occurrent idonea exempla, ac si Evangelistæ propositum esset decretum Pontificum immediatè ac directè explicare, non dixisset απ' εκεινης της ημερας συνεβλεψεντο, sed εν εκεινη τη ημερα συνεβλεψεντο. Dicendum igitur, quod ex consequente Evangelista intelligendum relinquat antecedens. Ab illo die consultabant, quâ ratione citra populi seditionem Christum possent capere & interficere, ex quo manifestè intelligitur, quòd in hoc suo conciliabulo decretum fecerint de Christo interficiendo. Ante hunc diem quæsierant eum interficere, ut ex ad ductis locis manifestum, nunc verò post auditam summi Pontificis sententiam & pensitato, quod Reipubl. impendere videbatur, periculo firmiter decreverunt id facere, de quo an faciendum esset, prius inter se consultaverant, statuerunt illum esse interficiendum, cum id prius tantum cupivissent ac tentassent, nec dum in publico Concilio definitivissent. Theoph. in h. l. *Antea quidem eadem ejus meditantur, sed remissius, & questio magis erat, quàm sententia; nunc autem perfectum judicium & firma sententia.* Lyranus h. l. *Licet antè habuissent voluntatem interficiendi ipsum, tamen ex consilio Caiaphæ definitivè hoc adimplere quamprimum possent.* Sic ergo conciliabulo suo decreverant, Christum esse è medio tollendum, sed de mediis adhuc deliberabant, unde in sequenti confessu dolo non autem manifestâ vitandum censent Matth. 26. vers. 4. & propter instans paschatis festum id differendum arbitrantur, ne fortè tumultus in populo oriatur vers. 5. Huic explicationi suffragatur tum syrus Interpres, qui sic reddidit: Ab illo die εβουλησθησαν, tum propria verbi significatio. βουλη enim propriè pertinet ad media, συνεβλεψεν igitur notat, quod post factum illo die sanguinarium de Christo

B

sto

sto interficiendo decretum, postea scrupulosè & sollicitè de medijs inquisiverint, quibus decretum suum exequerentur, unde paulò post mandatum promulgant, ut si quis cognoverit, ubi lateat Christus, indicet ut eum comprehendant. Johan. 11. vers. 57. Ad hoc crudele & ἀσπιδὸν Procerum Judaicorum Concilium Ambrosius lib. 2. de Jacob cap. 9. accommodat vaticinium Patriarchæ Jacobi Genes. 49. vers. 5. Simeon & Levi fratres vasa violentiæ gladii eorum. vers. 6. in consilium eorum non veniat anima mea & in cætu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum. Videbatur (inquit) Jacobus corporis implicatus impedimento & vigilantibus in futura tempora præcurrebat affectu dicens de persecutoribus Domini, qui de tribu Simeon & Levi autores erant nequitie processuri. Pontifices erant de tribu Levi, ait Lyranus, Pharisei magnâ ex parte è tribu Simeon, quia ex illa tribu ortum habuit secta Phariseorum. Idem Ambrosius de benedict. Patriarch. cap. 3. applicat hunc locum Esai. 3. vers. 10. De tribu Simeon Scribæ sunt, de tribu Levi Principes Sacerdotum, qui perfecerunt nequitiam suam in Domini passione mensuram omnem paternæ impietatis implentes. Ipsi consilium cogitaverunt adversus Dominum Jesum, ut interficerent eum, sicut Esaias dicit: *Vae anima ipsorum, quia cogitaverunt consilium malum adversus seipsos, &c.* Cyprianus lib. 2. adv. Judæos test. 14. Cyrillus in cap. 59. Esai. Augüst. lib. 17. de civ. Dei cap. 20. huc applicant locum Sap. 3. v. 12. Cùm parturivissent, ait Cyrillus, contra Christum invidiam, pepererunt impietatem in illum seu iniquitatem, ita ut propter nefarios ausus merito illud Propheticum dicere cogantur. *Ligemus justum, quia inutilis est nobis, promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei sese nominat, &c.* Sed in sensu literali horum dictorum non agitur de hoc Concilio contra Christum, sunt ergo tantum allusiones. Apparet autem ex h. l. & ex sequentibus Pontificum Conciliis, in quibus Christum blasphemiam accusant, non esse absolutam Conciliorum autoritatem, sed eadem gravissimè quandoque errare. Si scilicet non sequantur normam & ductum Scripturæ sacræ, in qua & per quam Spiritus sanctus nobiscum loquitur. Disputant Pontificii, Concilia à summo Pontifice congregata vel confirmata non posse errare, Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. & 5. Sed hoc Concilium congregat Pontifex Hierosolymitanus, qui in eodem Præsidis locum obtinet ac decisivam sententiam profert, adfunt Scribæ & Pharisei sedentes in cathedra Moysi. Matth. 23. v. 2. nihilo tamen minus hoc Concilium gravissimè errat, quando Christum Ecclesiæ caput ac fundamentum repudiat, ac proinde annumerandum est impiis conciliabulis, quæ à Spiritu sancto vocantur *לצדק מושב* confessus derisorum Psalm. 1. vers. 1. *קהל מרעים* concilio malignantium Psalm. 26. vers. 5. in qua sedent *גוים* viri mendacii sive mendaces vers. 4. Pontificii sentientes invictum hujus argumenti robur, variis modis illud infringere conantur. Quidam ajunt, questionem fuisse de facto non de jure, videlicet num Jesus esset necandus necne, in ejusmodi autem judicis Concilia errare posse. Sed hanc responsionem Bellarm. dict. lib. cap. 8. repudiat. Etiam si enim quæstio illa de facto esset, tamen involvebat quæstionem de fide gravissimam, nimirum an Jesus esset verus Messias

& Dei Filius, adeoque verus Deus. Quocirca erravit in fide perniciosissimè Caiaphas cum universo Concilio, quando judicavit Jesum blasphemasse, qui se filium Dei appellaverat. Alii dicunt, Pontificem & Concilium errasse quantum ad errorem propriæ mentis, non tamen errasse in sententia, quam protulit. Verè enim Jesus reus erat mortis, quia peccata nostrum in seipso purganda susceperat & verè expediebat eum mori pro populo, quare Johannes cap. 11. v. 51. dicit, Caiapham prophetasse. Sed & hanc responsionem Bellarm. d. l. repudiat. Quamvis enim verba Caiaphæ bonum sensum recipiant, non tamen omnia, cum enim ait de Christo: *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* certè tunc non prophetavit, sed blasphemavit. Alii dicunt: *Concilium illud errasse, quia non processit secundum morem legitimi judicii, sed tumultuariâ conspiratione subornatis falsis testibus Christum condemnavit, quod adeo notum erat omnibus, ut etiam Pilatus sciret per invidiam eum fuisse traditum sibi à Pontificibus.* Bellarm. judicat hanc responsionem probabilem, eidem tamen non insistit, quia inferiorum non sit judicare an superiores legitime procedant necne, nisi manifestissimè constet, intolerabilem errorem committi, & quia credibile non sit Deum permitturum, ut Concilia, quibus summus Pontifex præsidet, non legitime procedant. Tandem igitur suam profert responsionem, *Pontifices & Concilia Judæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsentate potuisse, imò fuisse prædictum erraturos Judæos & Christum negaturos.* Sicut enim non est necessarium, ut vicarius Pape non possit errare, cum ipse Papa regat Ecclesiam & ab errore defendat: Sic etiam non fuit necessarium, ut Pontifices Judæorum non possent errare, quando Christus summus totius Ecclesiæ Pontifex præsens aderat & Ecclesiam per se administrabat. Eadem responsione utitur Barradius in h. l. A tq̄ 1. Spiritus sanctus disertis verbis testatur Joh. 11. vers. 51. Caiapham fuisse adhuc summum Pontificem, ac Concilii hujus Assessores fuisse veros Sacerdotes, unde etiam Christus eos audire jubet, quatenus in cathedra Moysi sedentes vera ex Mose proponunt Matth. 23. v. 3. Nihil ergo deluit, quod ad legitimum Concilium Pontificii requirunt. 2. Pontificatus & Sacerdotium Vet. Test. nondum erat sublatum, quia Christus nondum in cruce obtulerat verum sacrificium propitiarium per Leviticam sacrificia præfiguratum. Ecclesia non est sine Sacerdotio (Pontificii addunt, sine sacrificio) At Christus nondum obtulerat in ara crucis seipsum in sacrificium (nec dum in cruentum illud sacrificium in Missa obtulerat, de quo tam multus in Romana Ecclesia sermo) durabat ergo adhuc Aaronicum Sacerdotium. 3. vidimus superius, ipsosmet Pontificios ex eo, quod Caiaphas summus Pontifex prophetaverit, concludere, quod Romanus Pontifex non possit errare, utique ergo præsupponunt, Caiapham adhuc Pontificem fuisse. 4. Stapletonus lib. 2. de princip. doctrin. cap. 11. disputat, *Ecclesiam Nov. Test. post Christi ascensionem demum incepisse:* locum ergo Ecclesiæ adhuc obtinuerunt Pontifex & Sacerdotes. 5. Hofius lib. 2. contra prolegom. Brentii disertè affirmat, *sententiam in hoc Concilio pronunciatam fuisse veram, & Spiritum S. huic Concilio adfuisse & Levitico Sacerdotio non defuisse Spiritum veritatis, donec Christus cruentum sacrificium offerret.* Idem.

Idem asserunt Melch. Canus lib. 5. locor. comm. cap. ult. resp. ad arg. 2. Hardingus in resp. ad Apolog. Anglic. p. 6. cap. 6. sect. 3. sed Bellarminus vidit, non posse ullâ ratione Concilii hujus sententiam defendi, judicavit enim Christum ut blasphemum & seditiosum è medio tollendum. 6. Si presentia Christi summi Sacerdotis obstitit, quò minus infallibilitas & absolutum non errandi privilegium Pontifici Hierosolymitano tribui possit, utiq; eadem adhuc hodie obstat, quò minus Pontifici Romano eandem tribuamus, quia Christum adhuc præsens est Ecclesiæ suæ juxta promissionem Matth. 18. v. 20. cap. 28. v. 20 Apoc. 1. v. 13. &c. 7. Si prædictiones de erroribus Præsulum Hierosolymitanorum pugnant cum absolutæ infallibilitatis privilegio, utiq; etiam prædictiones de erroribus Antichristi in templo Dei sessuri Pseudoprophetarum ante mundi finem venturorum pugnant cum infallibilitate, quam Romano Pontifici tanto conatu vendicant. Fallitur igitur ac fallit Bellarminus, quando causam, ob quam Concilium hoc tam graviter erravit, statuit in presentia Christi, cum quærenda ea sit in ignorantia & neglectu Scripturæ sacræ. Inde enim atq; ideò Caiaphas & Assesores hujus Concilii errant, quia non consulunt os Domini in Scripturis nobiscum loquentis. Quòd si enim Scripturas voluissent scrutari, facili negotio invenire potuissent, hunc Jesum Nazarenum esse promissum Messiam, cum omnia quæ de Messia prædicta extant, ipsi exactissimè conveniant, cumque divinis miraculis quam plurimis hoc ipsum dederit confirmatum. Inde Rupertus pulcherrimè ad hoc Pontificum Concilium accommodat locum Pl. 26. v. 4. *Non sedi cum viris mendacii, cum occultantibus se non introibo. v. 5. Odium corum malignantium & cum impiis non sedeo. Non introaverunt, inquit, in hoc Concilium, Moses, David & Prophetæ, id est, Assesores hujus Concilii non exquisiverunt oracula Prophetica, unde in suis deliberationibus tam graviter impingunt. Quid facimus, inquiunt, hic homo facit signa multa? Si Moysen audire voluissent, ab eo hoc responsum tulissent: Prophetam è medio tui & fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audisti. Deut. 18. v. 15. Si Davidem audire voluissent, quid sibi faciendum sit, statim audissent: Osculamini Filium, ne forte infatur, & pereatis in via, cum exarserit vel paululum furor ejus. Beati omnes, qui confidunt in eo. Psal. 2. v. 12. Si Esaiam in Concilium suum admisissent, hanc pericopen ipsis proposuisset: Ecce Deus vester venit, ipse venit & salvos vos faciet. cap. 35. v. 4. Tunc aperientur oculi caecorum & aures surdorum patebunt v. 5. &c. credite ergo in eum & pro Messia ipsum recipite. Si Pontifices & Pharisei cum Davide verè potuissent dicere, testimonia tua sunt viri consilii mei sive consilii mei Psal. 119. v. 24. si in confessum suum Moysen & Prophetas admisissent, ac lucem verbi secuti fuissent, non tam turpiter impigissent. Agnoscit hoc ipse Salmero tom. 8. tract. 54. p. 426. sic scribens: Ad hoc Concilium nec Prophetæ aliquis nec Moyses in gressu est. Si enim intrasset, utique pro Christo respondisset ac dixisset: Si tot signa facit, credite in eum. Hinc multa in nostris consultationibus absurda & inconvenientia facimus, quia in illis divinas Scripturas non admittimus, nec per vitæ & morum sanctitatem & honestatem disponimus, ut sanum Consilium*

Harm. Tom. II. vel Gerhar di Contin. pars prim.

possimus accipere. Agnoscit quodammodo ipse Bellarmin. quando lib. 2. de Concil. cap. 12. scribit: *Cum Nicenum Concilium desinit, Christum esse hominison Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus disertè continetur, unum esse Deum, & Patrem esse Deum, & Filium esse Deum, ex quibus necessario sequitur, Patrem & Filium esse ejusdem substantiæ & divinitatis. Et similiter Concilium sextum cum desinivit, in Christo duas esse voluntates, divinam & humanam, deduxit conclusionem ex Scriptura, in qua habetur, Christum esse perfectum Deum & perfectum hominem. Ergo quando Concilia ex Scripturis suas conclusiones & sua decreta deducunt, tunc non errant, quando autem præter & contra Scripturam nova fidei decreta proferunt, gravissimè errant. Ut autem hi Assesores Scripturas sacras non adhibent in consilium, ita contra pessimos consultores, avaritiam, ambitionem, invidiam & odium sibi adjungunt. Non est Deus ante oculos ipsorum, sed solummodò terrena commoda ac pericula considerant. Convocant Concilium contra Christum, nec quærunt veritatis defensionem, sed malitiosam oppressionem; quali igitur animo ad consultationem accedunt, talem etiam processum instituunt, quem ab executione ordiuntur. Deliberant de Christo perdendo antè causæ cognitionem, quòd ipsis exprobrat Nicodemus Joh. 7. v. 51. ex odio & invidia eum de medio cogitant tollere, quem videbant divinis miraculis coruscare; fatentur eum multa signa facere, & tamen conantur gloriam ejus opprimere; ex supina ignorantia & horribili cœcitate Messiam fore Regem mundanum statuunt, unde quæstionem de Messia quasi causam ad statum Cæsaris pertinentem tractant, & negotium merè Ecclesiasticum ac Spirituale ad judicia secularia deferunt, nec ullam populis Israëlitiis felicitatem sperandam esse arbitrantur, quamdiu Christo & ipsius doctrinæ locus aliquis relinquatur. Qui in Concilii locum secum deferunt animum tantæ cœcitatæ & ignorantia nebulis suffusum, ac tot vitiosorum affectuum turbiniis agitur, quid mirum est eos in transversum rari & gravissimè in suis consultationibus errare? Ideo etiam Evangelista annotavit, in hoc Concilio Christum nondum auditum nedum ullius culpæ convictum fuisse morti ad judicatum, ut ex eo intelligeremus, Christum, cum in judicium à Proceribus Hierosolymitanis vocatur, non fuisse ex ulla verâ causâ damnatum, quia jam antè ex odio & invidia eum damnaverant, priusquam ipse causam cognoscerent, fuit ergo merus prætextus, quando postea pro forma, ut dici solet, ac dicis causâ in Concilio ipsum audiunt. Nemo magis Ecclesiæ nomine tunc temporis gloriabatur, quam qui Christum Ecclesiæ caput persequerantur; nemo videri volebat juris & justitiæ observantior, quam qui nefariè hoc loco omne jus conculcabant. Eadem hodie agitur fabula in Ecclesia & politica mutatis tantum personis. Falsa enim & Cainica Ecclesia semper est sanguinaria, mendacium & falsa religio propagatur per homicidium, quia Diabolus, qui est mendax & mendacii Pater, est etiam homicida Johan. 8. vers. 44. Denique quia Christus in publico Concilio nomine totius populi à Proceribus Ecclesiasticis & politicis hic abjicitur & damnatur, ideo DEUS eodem modo incipit cogitare de hujus populi abjectione,*

B 2 sicut

sicut colligitur ex eo, quod statim in Historia Evangelica sequitur, Christum relicta Hierosolyma viciniam abiisse in Ephrem Joh. 11. v. 54. & paulo post largissimis lachrymis profusis excidium urbis

& populi prædixisse. Luc. 19. v. 41. *Volui vos congregare, sicut gallina congregat pullos suos, & nolistis, ideo relinquetur vobis domus vestra deserta, ait Matth. 23. v. 36. & 37.*

CAPUT CXLII.

CHRISTUS SECEDIT IN URBECULAM EPHRAIM,
PHARISÆI DE CHRISTO INQUIRENDO ET COM-
PREHENDENDO DECRETUM PROMULGANT.

JOHAN. 11. versic. 54.

RATIO ORDINIS.

Quibusdam visum fuit, Historiam de secessu Christi in urbem Ephraim ante Concilium illud Pontificum, de quo in præcedente capite actum fuit, collocandam esse. Cogitant enim, Pontifices hunc secessum Christi pro turpi fuga & metu fuisse interpretatos, indeque audentiores factos, ut sibi persuaderent, quia Christus post majestatem tanti miraculi iterum fugiat, inde facile in contemptum ipsum adductum & auctoritatem, quam ex miraculo isto sibi conciliaverat, diminutam iri, ideoque fugam illam animatos audacter statuisse, Christum esse interficiendum. Sed nulla necessitate cogimur, ut ab ordine Evangelistarum discedamus, qui secessum Christi in civitatem deserto proximam Concilio illi postponit, ac per particulam illativam *et* intelligendum relinquit, sanguinarium Pontificum decretum causam huic secessui præbuisse, sicut etiam antea auditis Merodis insidiis unam cum discipulis seorsim in locum desertum urbis Bethsaidæ secesserat, Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 31. Luc. 9. v. 10. Et præbet hæc series utilem doctrinam, quod licitis modis ac mediis periculum personale declinare liceat. Cum enim Christus, qui *novit omnia* Joh. 21. v. 17. in luce omniscientiæ suæ videret, Pontifices in necem sui conspirasse, nec dum constitutum passionis tempus præstò esset, secessu sibi consulere, &

furori hostium aliquandiu cedere voluit. Postea verò, cum venisset hora passionis, & loco passionis, & hostibus seipsum spontè obtulit. Potest & hoc de serie *ἀπολύθεις* aliquid monere, quod Johannes dicit, *pascha Judæorum fuisse in propinquo, cum Christus in Ephraim abiret*, cap. 11. v. 55. ac *sexto die ante pascha* Christum in Bethaniam ex hoc secessu rediisse, asserit. cap. 12. vers. 1. Quia ergo apud reliquos Evangelistas nihil occurrit, quod inter Lazari resurrectionem, factam in Bethania, secessum Christi in urbem deserto vicinam & reditum Christi ex secessu in Bethaniam commodè inferi possit, (quæ enim ab ipsis describuntur, ea post reditum Christi in castellum Bethaniam contigerunt) ex eo intelligitur, Historiæ de secessu Christi propriam sedem hoc loco esse statuendam. Andreas Osiander & eum secutus Mathæus disputant, secessum illum in desertum Ephraim describi apud Lucam illis verbis: *Et factum est cum esset in quodam loco orans*. cap. 11. vers. 1. ut sit sensus, Christus post ingressum castelli, quod est Bethania, secessit in terram Ephraim. Sed hæc sententia nititur illam hypothese, quod singuli Evangelistæ in suo contextu & ordine temporis ac rerum gestarum seriem servarint, nihil vel per anticipationem vel per recapitulationem narrantes, de qua quid statuendum sit, in principio Harmoniæ docetur.

SECESSUS CHRISTI IN URBECULAM EPHRAIM, AC PHARISÆORUM DE CHRISTO INQUIRENDO ET COMPREHENDENDO DECRETUM.

JOHAN. 11.

54. Ἰησοῦς ἂν οὐκ ἐπὶ παρῆσι αὐτοῦ ἐπιπέσει ἐν τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ ἀπῆλθεν ἐκείθεν εἰς τὴν χώραν, ἐγγυὴς τῆς ἐρήμου, εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν, καὶ καὶ διέτριβεν μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.
55. Ἦν ἰσχυρὸς τὸ πάθος τῶν Ἰουδαίων· καὶ ἀνέβησαν πολλοὶ εἰς Ἱερουσόλυμα ἐκ τῆς χώρας πρὸς τὸ πάθος, ἵνα ἀγιάσωσιν ἑαυτοὺς.
56. Ἐζητοῦν ἂν τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐλεγον μετ' ἀλλήλων ἐν τῷ ἱερῷ ἐρηκότες· τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι ἂ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν;

54. *Jesus ergo jam non propalam ambulabat inter Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem, que dicitur Ephraim, & ibi versabatur cum discipulis suis.*
55. *Instabat autem Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Hierosolymam illa ex regione ante Pascha, ut purificarent se.*
56. *Querebant ergo Jesum, & colloquebantur inter se in templo stantes: Quid videtur vobis, quod non venierit ad diem festum?*

57. Δεδώ-